

**Observationvm, Qvibvs Ostenditvr Perseverantiam Finalem Non Esse Peccati In Spiritvm Sanctvm Partem Essentialem Contra Vir. ... M. J. Carpovivm, Illvst. Gymnasii Vinar. Direct. ...**

## **Pars Prima**

Lipsiæ Et Wismariæ: Svmptibvs J. A. Bergeri, MDCCXLVII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862634938>

Band (Druck) Freier  Zugang





381

a. B.  
48. b. 8.

14.

Fa-1092 (14)

2. 23.

3.

4.

6.

7.

8.


10.

9.

10.

11.

1



OBSERVATIONVM,  
 QVIBVS OSTENDITVR,  
 PERSEVERANTIAM FINALEM  
 NON ESSE  
 PECCATI IN SPIRITVM  
 SANCTVM  
 PARTEM ESSENTIALEM,  
 CONTRA  
 VIR. CELEB. M. J. CARPOVIVM,  
 ILLVST. GYMNASII VINAR. DIRECT. MATHEM. P. P.  
 REG. SOCIET. BEROL. SCICENT. COLLEG.  
 PARS PRIMA.



LIPSIAE ET WISMARIAE,  
 SVMPSTIBVS J. A. BERGERI, BIBLIOP. WISM.  
 AN. MDCCXLVII.

LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
ROSTOCK  
PCCATI IN  
SANCTVM  
PARTEM ESSENTIALEM  
LIBR. PRIM.



LIBR. PRIM.

19.  
23.  
24.  
20.  
2.  
2.  
2.  
2.  
20.

# Lectori Partium non Studioſo S!

**C**um mos invaluerit, ut præfando ſtatim indicetur ſcribendi occaſio, paucis volui Lectori ante oculos ponere ea, quæ mihi ſcribendi anſam præbuerunt. Offendi nuper in taberna libraria tractatulum, programmatis loco editum, hunc præferentem titulum: *Illustrationis Apologetica peccati in Spiritum Sanctum, adverſus Johannem Engeström, Svecum, ſpecimen primum de peccato in ſpiritum ſanctum inchoato & conſummato, Auctore M. Jacobo Carpovio illuſtr. Gymnaſii Vinar. Directore Math. P. P. Regiæ Berolinens. Societ. Scientiarum Collega. Vinarie die XXVI. Jul. MCCCXLVI. datum, Fene vero excuſum.* In hoc verſatur opera Viri Celeberrimi, ut oſtendat, perfeverantiam finalem eſſe peccati in Spiritum Sanctum partem eſſentialem, atque in eadem fundari diſtinctionem dicti peccati ut inchoati & conſummati, quam in Theologia ſua revelata adhibuit, adhibitam vero impugnatam eſſe a Viro Summe Reverendo D. Engeström, S. Theol. Profefſore Primario in Academia Sveo-Gothorum Carolina Lundeniſi, quod indicat Auctor Cel. §. i. rationem inſtituti ſui redditurus, ſcribens: *præter opinionem ad manus meas pervenit M. Johannis Engeström, Sveci, S. Theol. Prof. Primar. & Archi-Præp. templ. Cathedr. Diſputat. Theologica Inauguralis de ſatiſfactione Chriſti pro peccato in Sp. S. præcipue adverſus Jacobum Carpov. in Theologia Revelata Dogmatica, methodo ſcientifica adornata. Reſpondente Petro Ring. Londini Gothorum die VIII. Mart. MCCCXLVI. deſenſa.*

In Specimine Illustrationis Apologeticae ſuæ ſecundo, quod Vinarie die 11. Octobr. ejuſdem anni prodiit, ſcribit ita: *Illustrationem Apologeticam peccati in Spiritum Sanctum, camque oppoſitam Diſputationi de ſatiſfactione Chriſti pro peccato in Sp. S. quam ad*

A 2

oppugnan-



*oppugnandam Theologiam meam Vir Summe Rev. Joh. Engeström Lundini Suecorum divulgavit, in superioribus Gymnasti solemnibus auspiciatus, specimine illius primo quidem diversitatem peccati inchoati & consummati in Sp. S. a Sueco nostro, inuita veritate, negatam, stabilire denuo & vindicare cepi, omni autem ambitui vindiciarum ultimam manum imponere, objectorum inanium copia præpeditus, non potui. Quare dum ordinem doctrinarum Engeströmianum secutus, speciatim in defendendis gradibus peccati in Sp. S. pessime negatis, substiti Spec. l. §. 17. 18. 18. ab iisdem in presentia initium faciam disputandi, ad discussionem reliquorum argumentorum deinceps progressurus.*

Argumentum, de quo inter Viros Excellentes controversatur, esse e difficilioribus, negaverit sane nemo, qui Musas sacras vel a limine salutavit, & quo difficilius est, eo magis me ad scribendum excitavit, præcipue cum diligentem sine omni controversia mereatur discussionem. Si quis adeo finistri esset animi, ut me hoc inani disceptandi pruritu faciendum suscepisse, inuide judicaret, judicet! per me licebit: studium enim veritatis cœlestis pie rimandæ, inquirendæ, defendendæque mihi haud quaquam ademerit, sed potius auxerit.

Deinde cum veritas, non convitiis, sed argumentis, inquiratur, atque confirmetur, sine verborum aculeatorum Symmatibus, sine convitiis turmis, sine omni denique partium studio, negotium expedire conabor, iudicium Lectori, partium non studioso, libenter relicturus. Valeas interim,  
at nunquam non optime!



## §. I.



um mihi proposuerim altius repetere controversiam istam, quæ momentum illud: *An perseverantia finalis est e forma, seu essentielle, peccati in Sp. S. consummati*, præcipue tractat, ab ipsa ejusdem definitione tractationis initium faciendum est, ne, ipsa intacta relicta, reliqua frustra disceptentur. Autor enim Cel. Viro S. R. Engeström objecit, quod licet definitionem, ut rectam concesserit, consequentias tamen, inde deductas, impugnaverit.

Age itaque, definitionem prius exanimabo, atque inter examinandum eam ex Script. Sac. atque consequentiis inde legitime deductis, ostendam, in quibus mihi cum Auctore Cel. Amice conveniat; atque in quibus, ab ipso dissentiam.

## §. II.


Definitio peccati in Sp. S. quam tradidit Vir Celeb. Spec. I §. VII. n. 1, p. 8. ita habetur. Peccatum contra Sp. S.

A 3

est

est veritatis cœlestis, ad salutem homini applicandæ, (\*) op-  
pugnatio i. malitiosa, i. e. contra meliorem cognitionem  
& convictionem ex proposito voluntatis plane libero  
facta.

- (\*) Alia est veritas, quod datur Messias; alia vero veritas est; quod sine meriti Christi applicatione nulla obtineri potest salus. Hæc ordinem, illa vero Fundamentum, salutis concernit. Qui Fundamentum salutis, seu Messiam, ut non dabilem impugnat, illius peccatum est & potentia & actu irremissibile; qui autem fundamentum, seu Christum dari, concedit, illius peccatum est potentia remissibile, licet actu propter defectum applicationis meriti ejus fiat irremissum. Si jam Auctor Cel. per veritatem, homini ad salutem applicandam, intelligit eam, qua fundamentum salutis, seu Messias ut dabilis, adseritur, concedimus Illi; sin vero per istam loquendi formulam indigiter ipsam meriti Christi applicationem; negamus hoc: quia omnes, qui damnantur, damnantur propter defectum applicationis meriti Christi, quo facto, omnes damnati essent peccatores in Sp. S. quod falsum. Qui negat Christum, negat quoque consequenter ejusdem meritum, at qui negligit applicare sibi meritum Christi, non statim negat dari Christum, pejor est, qui utrumque negat, quam qui posterius tantum negligit. Anonymus *discussus Theol. Philolog. de Peccato in Spir. S. ex Johan. V. 16.* anno hoc currenti 1747. Lips. impressus, posuit formam peccati adversus Sp. S. in *insanabili malitia abnegandi Christum, tanquam prorsus non dabilem*, ad quam sententiam inclinare videtur quoque Celeb. Dn. Carpovius, dum p. 38. Spec. II. Illustrat. scribit. Quamdiu filium Dei denuo cruci affigant, & in abnegatione illius, ut *Messia*, persistant. Et cum eodem recidat, sive Messias negatur, sive veritas, qua Messias dari adseritur, perversè impugnatur, retinui datam loquendi formulam in definitione: quod peccatum in Sp. S. fit *insanabilis malitia impugnandi veritatem cœlestem, eam videlicet, qua indicatur, dari Messiam.*



facta. 2. Speciosa, i. e. facta sub variis prætextibus. 3. finalis, h. e. ad finem vitæ usque continuata. Quod qua membrum primum & secundum ex exemplo Pharisæorum, qua tertium ex attributo hujus peccati, quod est irremissibilitas, tanquam e principiatio ad principium concludendo colligitur.

### §. III.

Primum & secundum membrum definitionis ut rectum Viro Cel. concedo, & sicuti ipsi videntur duo ista priora membra non constituere formam peccati in Sp. S. sed ejusdem tantum partem, ita mihi quoque videtur idem, adeo ut amica sit hæc inter nos conspiratio.

An vero perseverantia finalis sit pars essentialis peccati in Sp. S. ut ipse postulat, vel an aliud aliquid sit, quod alteram formæ dicti peccati partem absolvat, est res, quæ jam in disceptationem venit.

### §. IV.

Relictis itaque iis, de quibus inter nos convenit, ad ea, in quibus inter nos dissensus est, progredi lubet. In antecessum autem, ut ea, de quibus disputabitur, evadant clariora, addenda statim est definitio: *Peccatum contra Sp. S. est malitia veritatem de Messia cælestem, ad salutem homini applicandam, oppugnandi plane insanabilis.* In terminis, veritatis cælestis, ad salutem homini applicandæ, oppugnationis, malitiæ, contra meliorem cognitionem & convictionem, ex proposito voluntatis plane libero exercitæ, prætextusque varios, quibus se palliat, ne videretur, quærentis, quæ omnia suo exemplo comprobaverunt Pharisæi, ut supra dixi, inter nos convenit.

### §. V.

## §. V.

Cum forma rei sit illud, per quod res hæc est, & non alia, vel clarius: forma rei est illud, quo hæc res ab aliis omnibus differt, atque omnis malitia veritatem cœlestem impugnandi non sit peccatum in Sp. S. addidi *terminum insanabilis*, quo addito, clarum est, formam cum suo formato reciprocari posse. Omnis enim malitia insanabilis impugnandi veritatem de Messia cœlestem, ad salutem homini adplicandam, est peccatum in Sp. S. & omne peccatum in Sp. S. est malitia insanabilis oppugnandi veritatem de Messia cœlestem, ad salutem homini adplicandam.


## §. VI.

Jam incumbit mihi primum probare quod malitia Phariseorum & scribarum fuerit prorsus insanabilis, deinde, an in fine demum vitæ, an vero ante eundem, talis fuerit. In iis locis apud Evangelistas, in quibus mentio fit peccati in Sp. S., commemoratur quidem malitia eorum, at cum ibidem non dicatur, an sanabilis fuerit, nec ne, alia loca, ubi plenius determinatur, in subsidium demonstrationis meæ vocanda sunt.

Primum itaque observandum est, Phariseos & scribas appellari cœcos Matth. XV. 14. XXIII, 16. 17 19, 24. 26,

## §. VII.

Cœcitatem eorum non fuisse physicam, sed spiritua-  
lem exinde patet, quod dicantur *duces cœci*. Non enim homines physice, sed spiritualiter, ad Deum ducerent, monstrarentque ipsis viam ad Deum veniendi, Script. Sacram genuino suo sensu explicando; quod cum per se clarum sit, ulteriori ejusdem demonstratione superfedere volo. Erant itaque spiritualiter cœci atque adeo perversi, ut  
omnia,



23

24

20

2

2

30

omnia, quæ vigilantes somniabant, pro oraculis haberi vellent, dixit itaque ipsis servator: Si cæci essetis, essetis sine peccato, at jam cum dicatis: *nos videmus; manet vobis peccatum*, sensus hic est: si agnosceretis vos esse cæcos, essetis sine culpa, tunc enim illuminari possētis, at jam cum in profunda vestra cæcitate clametis: *nos videmus*, non potestis ad lumen, quod vobis deest, gratiose sublevari, cum vobis falso persuadeatis, nihil vobis deesse luminis. Et sicuti nemo ægrotat periculosius, quam qui ita ægrotat, ut nesciat se ægrotum esse, nam qua talis nullam admittit medicinam, qua absolute sperata, absolute quoque est insanabilis, ita cæcutiebant Pharisei periculosissime, ipsi nescientes, se cæcos esse.

§. VIII.

Resistæ, in quibus cæcutiebant, erant partim perversa legis interpretatio, partim vana præceptorum humanorum observatio; Legem interpretati sunt, quasi nihil præter externam sui observantiam requireret; quam se non solum perfecte præstare, sed etiam ultra eandem progredi posse, insulse somniabant, Matth. XIX. quo facto, sibi persuadebant, se non tantum id, quod suum erat, fecisse, sed etiam aliquid ultra obligationem suam præstitisse, Deumque ita, ut ipsis multum deberet, operibus suis sibi devinxisse; de internis autem, quæ lex quoque requirebat, nihil omnino sollicitos, se per externa legis opera justificari omnino volentes. Deinde traditiones suas legi divinæ impudenter præferiebant, & juxta easdem legem interpretabantur, vel rectius corrumpebant, ut videri potest Matth. V. ubi Christus doctrinam legis sensui suo genuino restituit.

B

§. IX.

Pharisæorum cœcitas præcipue versabatur circa doctrinam de justificatione hominis peccatoris coram Deo per fidem; eum itaque sibi, aliisque, persuasissent, hominem per propria opera sine fide in Christum posse justificari, per se patet, quanti meritum Christi fecerint, cum sine eodem justitiam obtineri posse putarent, patet quoque exinde, qualis eorum fuerit Christologia, de qua, cum plane elegantiora sint, verba Odhelii in Synagog. Bifron. §. 14. p. 24. adferre non dubitabo. *Primum igitur ex Evangelio discimus, illos (Pharisæos) vera de Deo notitia penitus caruisse.*

*Quum enim Trinitatem Personarum in una essentia ignorarent, ne personam quidem aliquam cognoscere poterant. Unde cum de Deo Patre, a se cognito, gloriarentur, nullam esse istam cognitionem, cum ignorantia Filii conjunctam, merito affirmat Salvator. Job. VIII. 19. 42. Quam hic subinde titubaverint ipsi discipuli Christi, a præjudiciis antiquæ Scholæ nondum satis liberati, insolens Philippi questio ostendit Job. XII. 8. Nec mirum, Patris nomen in Trinitate capere illos non potuisse, qui filium ipsi natura parem dari absurdum censebant. - - Patrem igitur non alio sensu Deum appellasse videntur, nisi quod ipsos filios haberet, quibus si caruisset, nec Patris nomen ipsi competere censebant. - - §. 3. p. 8. videntur haud incommode ad duo capita primaria reduci posse, quæcunque de impura Pharisæorum Theologia hinc inde apud Sacros Scriptores tradita reperimus, ex quibus instar rivulorum cætera profluxisse patebit: quorum unum falsum de Deo & Personis S. S. Trinitatis, præcipue autem de Persona secunda,*

23.  
24.  
20.  
2.  
2.  
30.

da, Messia nimirum ejusque officio, doctrinam complectitur, alterum depravationem legis, hoc est arbitrariam & perversam legis explicationem spectat. Breviter: Unum Evangelium, alterum legem respicit. §. 15. p. 25. Magna tunc vis incredulitatis (Pharisaorum) ut vel ipsi Mosi, quem ceteroquintanti habebant, non credidisse ipsos Servator enunciet. Job. V. 45. 46. P. 26. oculis itaque hac caligine obductis, fieri non potuit, quin solem iustitiae, & veram lucem, ac λόγον incarnatum inter illos habitantem, hoc est, ipsum Messiam, jam exhibitum & quotidie inter illos versantem, non cognoscerent. Hinc factum, ut in veram de Persona & officio Salvatoris notitiam ubique impingerent.

De Persona ejus admodum falsi erant, quam υἱον αἰθεραίου nudum hominem, non vero simul verum & aeternum Deum esse imaginarentur. Scilicet fabri filium, & ut habet Marcus, ipsum fabrum esse, adeoque fabrilis, & nihil, nisi quod ipsi cum matre & fratribus commune esset, sapere, impie opinabantur. Messiam Davidis filium esse putabant, quem Davidi Patri suo preponere nefas esset. Abrahamo & prophetis illum preferre sacrilegium erat. Filium Dei ipsum dici, blasphemium interpretati sunt. Dum equalem Deo se esse docebat, mortis reum habebant. Quum se de caelo descendisse diceret, murmurabant. Quum ad Patris sui de se testimonium provocaret, illi sibi Patrem Abrahamum non minorem esse gloriabantur. Quando ab aeterno se extitisse exponebat, aetatis defectum ipsi exprobrant. Posita hac personae Christi ignorantia, non mirum est, ad donorum & δωρημάτων divinatorum, in hoc homine conspicuorum, cognitionem & dijudicationem illos non penetrasse.



vid. Marc. VI. 8. Matth. XXII. 42. Marc. XII. 35. Joh. VIII. 53. IX.  
16. Matth. XIV. 2. XVI. 14. XXVI. 65. Joh. X. 35. 36. V.  
18. 19. 7. VI. 41. 43. VIII. 19. 39. 57.

## §. X.

Quibus rite perspectis, luce sua radiat, qua in re Pharisei cœci fuerunt atque ignorantes; Ignorantia est mater omnium errorum reliquorum: atque inde est, quod Matth. XXIII. 17. 19. dicantur *μωροὶ stulti, stolidi, fatui* ad. h. l. egregie annotavit Cel. Stock Clav. N. T. 698 *μωρος notat hominem perversum, & perperam ratiocinantem, cujus opinio est fatua atque absurda.* Nimis enim absurde ratiocinabantur Pharisei, dum aurum & sacrificium altari, per quod sacrificabatur utrumque, præferebant. Et Luc. XI. 40. appellantur *ἀφρονες, amentes, insipientes*, ideo quod propter externæ munditiæ observantiam ad superstitionem usque rigidam, magnum quid affectarent, interna licet munditiæ plane neglecta, atque ut re, ad quam se ex legis tenore non obligari opinabantur, prorsus spreta.

## §. IX.

Quæritur jam, an cœcitas seu ignorantia, qua laborabant Pharisei, esset vincibilis, nec ne? vincibilis quidem fuerat in sua causâ, licet eo tempore, quo Christus vixit cum ipsis visibilis, esset invincibilis. Nam cum diu ignorantiam affectassent, facta demum est malitia, lumini gratiæ oculos occludendi plane habitualis, ob quam habitualement malitiam ipsis tandem non dabatur facultas intelligendi mytheria regni cœlorum, quod cur ipsis denegatum sit, ratio hæc additur, quia *clavem scientiæ sustulerunt, seu, ut alii volunt, occultaverunt.*

Luc.

Luc. XI. 52. Quomodo autem? Per falsam legis interpretationem & detorsionem. Dira igitur iplis minatus Servator Matth. XXIII. 13.

*Vae inquit, vobis, Scribæ & Pharisei hypocrite, vos occcluditis regnum cœlorum hominibus, ipsi non intratis & intrare volentes impeditis.* Nolebant ipsi veritatem indagare, & aliis indagare volentibus, perverse obnitentur. Notatu dignissima sunt verba Servatoris ex vaticinio Jesaiano citata, & Phariseis, qui multitudini, quoque inerant, applicata Joh. XII. 19. *Et licet tot ipsis ediderit, prodigia, ipsi tamen non crediderunt, ut sermo ille, quem protulerat Jesajas, impleretur. Domine, qui credit auditui (concioni nostræ.) Et cui brachium Domini manifestatum est? Propter hoc non potuerunt credere, quia Jesajas iterum dixerat:*

*Oculos eorum excœcavit, & cor eorum induravit, ne oculis viderent, & corde intelligerent & sese converterent, ut ipsos sanem* Joh. XII. 39. seqq. Jam quæritur, an ideo non possent credere, quia Jesajas prædixerat Spiritu divino afflatus, eos non fore credituros, vel, an Jesajas hoc prædixisset ideo, quod tantam prævidisset eorum futuram malitiam, posterius affirmat Matthæus XIII. 14. malitia eorum ut causa, cur excœcarentur atque indurarentur, rotunde addita. *Oculos suos NB. NB. occluserunt, nequando oculis videant, auribus audiant, ac corde intelligant, atque convertant se, ut ipsos sanem.*

### §. XII.

Rotunde quoque describit Apostolus pœnam, quæ notitiæ veritatis contemptum sequitur 2. Thefl. II. 10. II. 12. *Quoniam veritatem non amaverunt, ut salvi fierent, immittet ipsis Deus efficaciam deceptionis, ut mendacio cre-*

*derent.* cet. conferatur Rom. I. 19. 22. 24. 26. 28. Cum jam malitia atque perversitas eorum esset tanta, ut nullis monitis, nullis persuasionibus, & nullis denique minis adduci possint. ut apertis, quos clauseram, oculis in lumine, quod ipsos affulgebat, ambularent, tenebræ ipsos ceperunt. Joh. XII. 35. Adeo ut ipsis, cœcitate percussis, non datum fuerit *scire mysteria regni cœlorum*, & illud, quod habebant lumen, adimeretur ipsis Matth. XIII. 11. 12. Ob hanc habitualementem malitiam veritatem cœlestem respuendi Phariseis & Scribis apertis quoque verbis applicat ipse servator similitudinem *de Spiritu immundo, domum, unde erat expulsus, iterum occupante, septem aliis Spiritibus, ipso pejoribus, comitato, quo facto, ultima ejus hominis primis pejora forent.* Sic erit malæ huic generationi Matth. XII. 45.

## §. XIII.

Qui adeo perversus est, ut oculos ocludendo ipse nolit videre i. e. lumen gratiæ admittere per Matth. XIII. 15. & per pœnam ob contemptum gratiæ juste inflictam, veritati inculcatæ non possit cedere seu pro vera firmaque habere Joh. XII. 39. neque unquam converti, ut fervetur per v. 40. l. c. illius malitia est plane insanabilis, at talis fuit Phariseorum & Scribarum malitia, unde abunde constat, ipsos fuisse prorsus insanabiles, & consequenter pœnitentiam & ipsis impossibilem, qua posita, per se immediate sequitur perseverentia in peccato finalis. Deinde cum habitus non peractus, ipsum consequentes, sed ipsum antecedentes, adquiratur, in aprico est, habitualementem eorum malitiam non per perseverantiam finalem, sed per actus malitiosos, qui pœnam, qua tenebris intellectus immer-

merſi, reprobæque menti traditi ſunt, anteceſſerunt,

§. XIV.

Nemo punitur, niſi ob habitualem, ſeu conſummatam malitiam, pœna enim differtur, donec meſura peccati plena ſit, per Gen. XV. 16. VI. 3. 11. 12. Joel. III. 13. Mat. XXIII. 2. Illa meſura peccati plena eſt & conſummata, cujus integritati, ſeu formæ, nihil plane deeſt; Pharifæi non potuerunt plenius contemnere gratiam Dei, quam fecerunt *contemnendo contra ſemetipſos conſilium Dei de operanda in ipsis ſalute per ſacrum lavacrum, adminiſtratum a Joh. Baptiſta* Luc. VII. 30. quod factum eſt antequam Chriſtus miniſterio ſuo initiatus eſt

Quod cum Johannes oestro divino percitus videret, haud immento interrogavit eos, qvisnam ipſos docuiſſet *iram effugere venturam*, quod ipſe, viſa eorum malitia inſanabili, videbat eſſe prorsus impoſſibile.

§. XV.

Homo fraude peccati decipitur per Hebr. III. 13. *videte, nequis fraude peccati decipiatur*, adeo, ut non intellectus tantum, ſed etiam voluntas, depravetur, i. e. genuinus earum facultatum uſus pervertitur, id quod in S. literis per cœcitatem & indurationem deſcribitur.

§. XVI.

Occœcatio & induratio tribuuntur in oraculis divini homini peccatori, diabolo ſeductori, & Deo tandem, ut juſto nequitia vindici.

§. XVII.

Homini tribuitur, quando contra meliorem cognitionem

tionem & convictionem reliqua facit omnia sana, ut obtineat vana. Quod diu faciendo in consuetudinem adeo abit illicitus rerum illicitarum usus, ut vitiis gloriando peccatum peccator multiplicet; Consuetudo est altera natura, peccandi consuetudine in naturam abeunte, adeo cœcus insipiensque euadit homo, ut vitia pro virtutibus, virtutesque pro vitiis, habeat. Pharisæis videbatur, magnum esse vitium, sanare ægrotum die sabbathi.

## §. XVIII.

Occæcatio diabolo, ut causæ efficienti quoque adscribitur. de quo loquitur Apostolus 2. Cor. IV. 3. 4. si *absconditum sit Evangelium nostrum, absconditum est deperditis, quibus Deus hujus mundi occæcavit intellectum incredulorum, ne luceat* ipsis lux Evangelii gloriæ Christi; Malas cogitationes, quæ vocantur ignita ipsius tela, suggerit, atque in suggestis continenter detinet, adeo ut ne respirandi quidem, nedum ad cœlestia adspirandi, tempus habeant, sed ut ex uno, in aliud continuo prolabantur peccatum per Exemplum Regis Saulis, judæ Proditoris cet.

## §. XIX.

Occæcatio, quando Deo adscribitur, est gratiæ ob habitualement ejusdem atque insanabilem contemptum subtractio per Matth. XIII. 15. Joh. XII. 40.

## §. XX.

Quando loquitur Servator de subtractione gratiæ, ut poena ob contemptum ejusdem plane insanabilem, dicit Matth. XIII. 12. XXV. 20. - *Et nihil habenti, id quod habet, adimetur.* Locutio est comparativa, comparatio enim  
in-

instituitur inter servos, quorum alteri Dominus 10 talenta, alteri vero unicum tantum, in usuram dederat; Et cum unum talentum 10 adæquare nequeat, dicitur ille, cui unum erat commissum, nihil habuisse, vel rectius forte dicitur *nihil habuisse*, ideo quod nullum Domino tuo ex talento, in usuram sibi tradito, fructum attulisset: duo enim commemorantur, substantia & redditus (capital & interesse) respectu substantiæ habebat aliquid, commissum, videlicet, talentum; Respectu vero redditus, nihil plane habebat, cum talentum defodisset. Adimeretur itaque illi, respectu redditus nihil habenti, unicum, quod habebat, talentum, cum eodem in rem DOMINI sui non usus fuisset. Hoc simile usurpat Christus de occæcatis & induratis Pharisæis, qui cum lumen gratiæ in usum, a Domino suo destinatum, non adhibuissent, idem illud ipsum exiguum, quod adhuc dum residuum erat, ipsis adimeretur, quippe quod nec ipsis, neque aliis per ipsos, propter insanabilem eorum perversitatem, prodesse posset.

§. XXI.

Ea, quæ jam dicta sunt de excœcatione, cuius subjectum est intellectus, ad indurationem, cuius subjectum est voluntas, quoque referri possunt. ut intellectus per gradus obtenebratur, ita voluntas quoque gradatim obfirmatur; Gradus, per quos ad insanabilitatem ascendit malitia, eleganter plane designavit Jacobus Saurin, vir doctissimus atque disertissimus, in der dritten Predigt vom Aufschube der Bekehrung p. 113. Cujus verba ex versione Germanica ita sonant: Wenn wir von Sündern reden, die schon so weit gekommen sind, daß sie sich nicht bessern

C

fern

fern können: So verstehen wir nicht nur diejenigen Alten, die sich seit funfzig, seit sechzig Jahren in den Lasteren herum gewelket, und bey denen die Sünde gleichsam zur andern Natur geworden ist. Wir reden auch von solchen Leuten, die bey einem nicht so hohen Alter, weil sie Gott die ersten Jahre ihrer Jugend nicht opfern wolten, sondern die Parthey des Unglaubens und der Atheisterey unter dem Namen eines aufgeweckten Kopfes ergriffen, auch in der That zu Atheisten geworden sind, dergestalt, daß nichts mehr vermögend ist, sie zu bewegen. Anfangs war es ein blosser Mangel des Eifers, daraus ist die Nachlässigkeit entstanden; hernach ist die Kaltsinnigkeit gefolgt, ferner die Unempfindlichkeit, alsdenn die Verachtung der Religion, und endlich die allergrößte und hatsstarrigste Entheiligung derselben.

## §. XXII.

Demonstravi jam à priori insanabiles fuisse Pharisæos, atque Scribas, & quidem ante finem vitæ suæ, à posteriori idem probat eventus: Spiritui Sancto enim semper obnixa sunt. Act. VII. 51.

## §. XXIII.

Malus & piger servus non propter futuram, sed præteritam, malitiam, privatione talenti puniebatur; cum enim novisset, & convictus esset, Dominum suum esse virum durum, (ut perverse loquitur) se tamen iusta faciendo ad evitandam ejus duritiem non præparasset, pœna adeo gravi dignus esse merito censebatur. Nemo punitur ob patrandam, sed ob jam tum patratam nequitiam, juxta illud; Qualem te invenio, talem te judico. vid. Apoc. III. 15. seq.

## §. XXIV.

Pharisæos, & Scribas fuisse malos adeo, atque perversos suo tempore testatur Christus ipse l. c. ut ipsos ipse sanare

23.  
24.  
2  
20  
2  
2  
30

nare non posset ; Nam nemo, illuminatione non admiffa, converti potest ; Nec fine conversione iustificari ; Neque fine iustificatione spiritualiter fanari. Malitia eorum per consuetudinem in naturam ita abierat, ut esset non solum per se, verum etiam per pœnam, plane invincibilis atque efficax : *Cum enim veritatem in mendacio demissent, & propterea, quod amorem veritatis, ut servarentur, non accepissent, immittet ipsis Deus ἐπέγειαν πτανης deceptionis, seu ignorantia, efficaciam, ut mendacio crederent per 2. Theff. II. 10, 11, 12. conferatur Rom. I. 24. Fuge hominem hereticum, una alteraue facta admonitione sciens, quod ejusmodi homo perversus sit, & peccet, quasi ille, qui semetipsum condemnavit. Tit. III. 10. 11.*

§. XXV.

Posita malitia insanabili, per se sequitur perseverantia finalis, ut causam suus effectus. at quaeritur, an malitia posset fieri ita habitualis, ut omnem omnino sanabilitatis potentiam prorsus auferrat ? Cur ni ? Præter quam enim, quod ex rei actualitate ad ejusdem possibilitatem rite colligitur (dicuntur ab ipso Christo insanabiles per loca it. ergo erat insanabilitas malitiae eorum possibilis) rem exemplo illustrabo.

Adamus unico actu, commestione fructus arboris vetitæ, contraxit sibi tantum malitiae habitum (peccatum originale, puta.) & transposuit se, suosque in talem statum, qualis ne in piissimo quoque, nisi ipsa cum morte, penitus superari potest.

Status ille contrarius, seu peccatum originale non potest esse sine continuo exercitio, seu peccatis actualibus. At quis sibi persuaderet, peccata actualia, quæ status istius per-





perverſi perfeverantiam produunt, pertinere ad formam peccati originalis? Perfeverantia enim, exercitio peccati pleno prodita, abunde probat, formæ nihil prorfus deſſe, ſed eandem omnino eſſe conſummatam. Perfeverantia itaque finalis non ponit, ſed ſupponit, malitiam inſanabilem, ſed malitia inſanabilis ponit omnino perfeverantiam finalem ut adtributum ex natura ſua immediate fluens. Duratio non ponit vitam, at vita requirit durationem.

Verum quidem eſt, ens exiſtens, non poſſe eſſe ſine duratione, at falſum tamen eſt, durationem ponere ens in eſſe ſuo, vel enti ſuum dare eſſe, ſed enti, eſſentiam ſuam habenti, competere, ut adtributum neceſſarium.

§. XXVI.

Cum jam demonſtratum ſit, Peccatum in Sp. S. non conſummarum per perfeverantiam finalem, ſed eandem eſſe adtributum ex peccato in Sp. S. conſummato immediate fluens, & licet peccatum ſic dictum conſummatum non poſſit eſſe ſine perfeverantia finali, eandem tamen non magis ingredi formam ejus, quam durationem ingredi formam vitæ, argumenta, quibus Vir Celeb. perfeverantiam finalem peccati in Sp. S. partem eſſe eſſentialem adſtruxit, veniunt demum diſcutienda.

§. XXVII.

Supra innui, mihi cum Auctore Cel. convenire in membro primo & ſecundo peccati in Sp. S. quod ſcilicet oppugnatio veritatis cœleſtis, homini ad ſalutem applicandæ, ſit 1) malitioſa. 2) Specioſa. Tertium vero membrum, perfeverantiam finalem, quæ ipſi videtur,  
ut

23  
24  
2  
20  
2  
2  
2  
10

ut pars essentialis, peccatum in Sp. S. consummare, non ingredi formam peccati in Sp. S. sed eandem, posita malitia insanabili, inseparabiliter sequi, in antecedentibus quoque demonstravi, ulterius autem demonstraturus in resolvendis iis, quibus suam adstruxit sententiam Vir. Cel. argumentis, Pag. 8. Not. I. postquam definitionem peccati in Sp. S. exhibuerit, ita scribit: *Quod qua primum & secundum membrum (oppugnationem dictam esse 1) malitiosam 2) speciosam) ex attributo hujus peccati, quod est irremissibilitas tanquam a principiato ad principium concludendo colligitur, & p. 12. circa fin. ita pergit: Cum igitur tam irremissibilitas propter testimonium Christi, quam perseverantia finalis, tanquam principium ejus, sint peccati in Sp. S. predicata constantia, & irremissibilitas quidem rationem sui in perseverantia finali habet, perseverantia finalis autem, per aliud quidquam in hoc peccato, in abstracto spectato, non determinetur; Cumque secundum Metaphysicam predicatum entis constans, quod per aliud non determinatur, sit essentialis, tale autem, quod per essentialis sive mediate, sive immediate, determinatur, attributum sit: sit, ut irremissibilitas sit attributum peccati in Sp. S. Perseverantia finalis autem in oppugnatione veritatis caelestis malitiosa sit essentialis ejus. Quare ut definitio peccati in Sp. S. essentialiam ejus exprimeret, terminum finalem ei inserui, finalem oppugnationem veritatum caelestium inter caetera hoc peccatum dicens §. 7. n. 1.*

§. XXVIII.

Ut eo clarius pateat argumentum Viri Cel. idem illud in compendium redigam:

*Quodcunque predicatum peccati in Sp. S. quod non*  
C 3 *deter-*

*determinatur per aliud, illud est ejusdem essentialē,*  
 atqui perseverantia finalis est prædicatum peccati in Sp. S. quod non determinatur per aliud:

*Ergo est perseverantia finalis essentialē peccati in Sp. S.*

Minorem nego & pernego. Nam quemadmodum irremissibilitas peccati in Sp. S. habet rationem sui in perseverantia finali, ita habet quoque hæc rationem sui in malitia insanabili; malitia plane insanabili, impossibilis plane est pœnitentia, teste quoque Apostolo Hebr. VI. 4. 5. 6. Pœnitentia autem plane impossibili, fluit per se perseverantia finalis. Ex malitia insanabili fluit pœnitentiæ impossibilitas, ex illa perseverantia finalis, ex hac irremissibilitas. falsum itaque est, perseverantiam finalem esse prædicatum peccati in Sp. S. adeo sibi constans, ut per aliud aliquid non determinaretur; determinatur enim per impossibilitatem pœnitentiæ, & hæc inde per malitiæ insanabilitatem. Et cum auctor Cel. ipse concedat, illud entis prædicatum non esse essentialē, quod determinatur per aliud; Et perseverantia finalis determinatur per aliud aliquid, sequens opponitur Viro Cel. argumentum: Quodcunque entis prædicatum, quod per aliud aliquid determinatur, illud non est essentialē,

Atqui perseverantia finalis in peccato contra Sp. S. determinatur per aliud aliquid (impossibilitatem pœnitentiæ)

Ergo, non est perseverantia finalis essentialē peccati in Sp. S.

Major ex concessis, & minor ex iis, quæ proxime dicta sunt, clara est, perseverantiam finalem videlicet rationem sui in impossibilitate pœnitentiæ, hanc vero in malitiæ insanabilitate, omnino habere.

Nam si malitia non esset profus insanabilis, nulla sane foret per se perseverantia finalis.

Perseverantia finalis non facit, ut insanabilis sit malitia,

lita, sed malitia insanabilis facit, ut finalis sit perseverantia. *Prima coitio acerrima est, inquit Terrentius, quam si feliciter superaveris, reliqua erunt facilioa.* Cum jam primum argumentum, quo, ut fundamento, Auctor Cel. ædificium demonstrationis suæ superædificavit, destructum sit, destructio reliquorum erit facilior.

§. XXIX.

Perseverantiam finalem in oppugnatione veritatis cœlestis statuit Vir. Cel. esse essentielle, seu partem essentialem peccati in Sp. S. unde tandem deduxit distinctionem suam peccati in Sp. S. inchoati & consummati, hoc syllogismo p. 15.

Per quodcunque peccatum in Sp. S. perducitur ita, ut integritati (formæ) illius nil desit amplius, per illud hoc peccatum consummatur;

Atqui per perseverantiam finalem peccatum in Sp. S. ita perducitur ad finem, ut integritati (formæ) ejus nil desit amplius: ergo.

Minorem nego. Peccatum enim in Sp. S. non consummatur per perseverantiam finalem, sed perseverantia finalis e contrario probat peccatum in Sp. S. esse consummatum, alias perseverantiæ finalis per se haudquaquam capax, cum non entis nullæ sint affectiones. Deinde non est perseverantia finalis essentielle aliquid peccati in Sp. S. cum prædicatum sit quoddam, quod per aliud aliquid determinatur, per §. XXVIII.

Argumentor itaque hoc modo:

Quodcunque, quod entis essentielle est, illud potest ens consummare.

Atqui perseverantia finalis non est essentielle peccati in Sp. S.

Major ex concessis patet, atque etiam minor, cum mihi concessit quoque Vir Cel. illud non posse ens consummare, quod ejusdem non sit essentielle. ergo:

Non potest perseverantia finalis consummare peccatum in Sp. S.

§. XXX.

23.  
24.  
20.  
2.  
2.  
2.  
20.


## §. XXX.

Pergit Vir. Cel. p. 12. §. X. ita; *Desiderato enim distinctionis fundamento, faciam ante omnia, ut nondum intellectum ex libro meo, plenius jam intelligatur: Consummatum in genere dicimus, quod ad finem perductum est ita, ut integritati (barbare dicerem: totalitati) illius nil desit amplius, sed quod nondum ad finem est perductum, & cujus integritati hinc deest adhuc aliquid, illud dicimus inchoatum: Jam, teste Christo, peccatum in Sp. S. & in hoc, & in futuro, seculo est irremissibile Matth. XII. 31. 32.*

*Sed cur est, queso, ita irremissibile, nisi propter perseverantiam finalem, ad finem usque factam. Nam si peccans contra Sp. S. ad saniolem mentem rediens, veram seriamque agat penitentiam, queratque gratiam antea rejectam & oppugnatam, non est dubium, quin remissionem peccati consequatur, quia venientem ad se Christus non expellit Joh. VI. 37. Et ubi amplificatum est peccatum, ibi superabundavit gratia, Rom. V. 20.*

## §. XXXI.

Quæritur jam de peccato: Aut enim est remissibile, aut irremissibile? Si prius, non est peccatum in Sp. S. teste Christo. Matth. XII. 31. 32. Sin vero posterius, est peccatum in Sp. S. idque consummatum, teste quoque ipso Christo, l. c. Et cum essentia rerum non admittant magis aut minus, sed aut sunt, aut non, clarum est, eam distinctionem peccati in Sp. S. inchoati & consummati nullum habere fundamentum, sive dictum Servatoris. sive peccati naturam, inspicias. Deinde supponit Auctor Cel, quod ne concipi quidem potest: *Non est dubium, inquit,*



quit, quin, si peccans contra Sp. S. agat pœnitentiam, remissionem peccati consequatur;

Nullum plane est dubium, quin, qui ad Christum venit, in gratiam recipiatur; Sed maximum est dubium, an peccans contra Sp. S. unquam ad Christum venerit; aut venire potuerit. Si veniret, veniret sane per pœnitentiam; at pœnitentia, cum malitia ejus sit plane insanabilis, est ipsi impossibilis per Hebr. VI. 4. 5. 6. Unde, teste Christo, peccatum ejus absolute irremissibile. Cum igitur pœnitentia ejusmodi peccatoris non sit possibilis, nec est adventus ejus ad Christum conceptibilis.

§. XXXII.

Quibus observatis, cadit quoque argumentatio, quam ex definitione inchoati desumpsit Auctor Cel. Nam, si inchoatum peccatum in Sp. S., ut concedit, possit remitti, non habet attributum irremissibilitatis, & cum adtributum entis fluit ex essentia entis, clarum sit, talem esse essentiam, qualia sunt ejusdem adtributa, patet, peccatum in Sp. S. sic dictum inchoatum non esse peccatum in Sp. S. cum nec irremissibilitatem, ut adtributum peccati in Sp. S. habeat, neque illud, quod ipsi audit essentiale, perseverantiam finalem. Et cum essentia entis sit illud, secundum quod ens est hoc & non aliud, atque non quævis impugnatio veritatis cœlestis est essentiale peccati in Sp. S. neque quævis perseverantia finalis, ejus proprium attributum; neque denique duæ istæ species conjunctim sumtæ, seu finalis impugnatio, cum ista determinetur per aliud, insanabilem videlicet malitiam, veritatem cœlestem impugnan-

D

di,

23.  
24.  
20.  
20.

di, luce sua lucet, peccatum in Sp. S. sic dictum inchoatum, non esse peccatum in Sp. S. ne quidem inchoatum, nisi peccata ista, per quæ peccator contrahit sibi ejusmodi habitualem & insanabilem malitiam, peccatum in Sp. S. appellare voluerit inchoatum: quo pacto, possunt omnia enormia peccata dici inchoationes, seu præparationes peccati in Sp. S. cum fieri possit, ut prolatur inde peccator in peccatum contra Sp. S.

## §. XXXIII.

Deinde nimis inconstanter loquitur Auctor Cel. de perseverantia finali, modo videtur ipsi esse forma peccati in Sp. S. modo e forma ejus, seu pars essentialis: dicit enim Christum satisfecisse pro impugnatione veritatis cœlestis, & transgressione legis fidei, non vero pro ea, ut finali, seu pro perseverantia in eodem finali; oppugnatio dicta est pars dicti peccati essentialis, perseverantia in eadem finalis altera pars, quæ duæ partes conjunctim audiunt ipsi peccatum consummatum in Sp. S. pro hoc Christus non satisfecit. Aut jam Christus pro toto hoc peccato satisfecit, aut, si non pro toto satisfecit, est perseverantia finalis forma peccati in Sp. S. hoc negat disputans contra Meisnerum p. 14. ubi dicit eam esse forma seu partem formæ; illud affirmat p. 10. n. 14. ubi dicit Christum non satisfecisse pro peccato in Sp. S. consummato. Cum tamen consummatum illud peccatum reddant oppugnatio veritatis cœlestis, & finalis ejusdem perseverantia, seu ἀπιστία, ex propria ejus mente, finalis. Quibus rite perpenis, falsum est, quod Christus non pro toto illo peccato satisfecerit, cum pro parte ejus essentiali, op-



23.

(oppugnatione veritatis, sine qua peccatum illud non est dabile) Ipso fatente, satisfecerit.

Manifesta igitur facta jam est latens contradictio.

§. XXXIV.

Scriptit Auctor Cel. p. 13. se etiam alios Theologos habere consentientes in eo, quod perseverantia finalis ad essentialia peccati in Sp. S. pertineat, sed si rite examinentur, non habet eos consentientes, sed plane dissentientes, quod cum venia Auctoris Cel. dictum velim.

Verba B. Musæi, quæ ex disp. de peccato in Sp. S. Jen. 1658. edita §. 36. citantur, citataque ita sonant: *Peccatum in Sp. S. per se & suapte natura cum finali impœnitentia conjunctum est.* At cur cum finali impœnitentia conjunctum? Quia pœnitentia ejusmodi peccatoris est impossibilis? Hebr. VI. 4. 5. 6. Cur autem impossibilis? Quia malitia ejus impugnandi veritatem cœlestem est plane insanabilis. Ens non potest per se & suapte natura existere sine duratione, ergo est duratio essentialis quid entis. En consequentiam!

§. XXXV.

B. Musæus, referente Viro Celeberrimo, declarat §. 37. ulterius sententiam suam scribens: *Dico: per se & suapte natura; ad differentiam aliorum peccatorum, quæ etiam cum finali impœnitentia sæpe conjungantur, per accidens tamen & ex conditione peccatoris. Alia enim peccata, quantumvis gravissima, peccanti tamen per se & sua natura viam ad pœnitentiam non præcludunt, sed si contingat, ut sine pœnitentia peccator ad mortem usque in iis perseveret, per accidens id est, & ex eo provenit, quod*

C 2

gra-

30.



*gratia, per ministerium verbi pœnitentiam operaturæ, obicem ponit, non ex vi & natura peccati, sed ex propensione in malum & obstinata voluntate, qualem obicem alii, in idem prolapsi peccatum, non ponunt; Quod autem in Sp. S. committitur, per se & natura sua viam ad pœnitentiam peccatori præcludit. Cum hoc peccatum sit malitia insanabilis, non potest non præcludere peccatori ad pœnitentiam viam, qua præclusa, non potest aliud inde sequi, quam impœnitentia finalis; sequitur itaque, & non ingreditur, ejusdem formam. De B. Meisnero, in partes suas vocato, ita loquitur ipse Vir Cel.*

*Negat quidem perseverantiam finalem requisitum essenziale peccati in Sp. S. esse; attamen concedit esse accidens inseparabile, scribens; Finalis impœnitentia est ex adjunctis primariis peccati in Sp. S.) Hæc enim indurationem velut individuus comes sequitur. Quid potest rotundius dici? Impœnitentia finalis sequitur indurationem, hæc autem, ut pœna promerita habitualem peccatoris ejus & plane insanabilem malitiam. Impœnitentia itaque finalis non ingreditur, sed sequitur, formam peccati in Sp. S.*

§. XXXVI.

*Omnis igitur peccans, pergit allegatus Meisnerus, in Sp. S. est finaliter impœnitens, sed non contra, quia multi etiam in peccatis morum perseverant, & sic finaliter impœnitentes sunt. Proinde impœnitentia finalis nequit esse forma hujus peccati, quia non recipitur cum eo, ut diximus; Omnis autem forma, cum suo formato reciproce dicitur. Quare convenientius statuitur, finalem impœnitentiam non esse requisitum essenziale, aut formam, sed duntaxat accidens commune, attamen inseparabile,*  
*quia*

quia nunquam datur istud peccatum, nisi conjunctum cum impœnitentia finali. Ratio, quia nunquam remittitur.

Heic dixit auctor B., impœnitentiam finalem neque esse hujus peccati *essentiale requisitum*, neque *formam*, Sed accidens inseparabile, rationem addidit: *Quia nunquam remittitur*. Atcur non remittitur? Quia impœnitentia est finalis; at cur impœnitentia est finalis? Quia pœnitentia est impossibilis per Hebr. VI. 4. 5. 6. At cur est pœnitentia impossibilis? Quia malitia peccatoris est plane & absolute insanabilis? Posita itaque impœnitentia hujus peccatoris finali, apertissimum est, malitiam ejus oppugnandi veritatem cœlestem fuisse plane insanabilem. Posita impœnitentia finali, ut accidente inseparabili, ponatur quoque, cui inseparabiliter adest, subjectum insanabile. Quod autem Vir B. dixerit; *Si autem pœnitentiam quis ageret, utique remitteretur*; omnino hallucinatur, hoc enim aperto Servatoris est facto contrariatur. Nam si remittatur, non est peccatum in Sp. S. Et si sit peccatum in Sp. S. remissio ejus plane impossibilis.

§. XXXVII.

Deinde allegantur ex disp. Fried. VL, Calixti de peccato in Sp. S. Helmst. 1659. edita, hæc verba: *Essentiale requisitum peccati in Sp. S. quoad principium ejus omnium mediorum salutis reiectio & constans in tali peccato propositum*. Nominatur heic peccati principium, ut cogito, pro peccato in Sp. S. *inchoato*, & constans in tali peccato propositum, perseverantia finalis, *pro peccato consummato*, militabit; at Calixtus statuit propositum perseverandi dari in hoc peccato quoad principium ejus, ergo hoc peccatum statim in principio suo consummatum est. Constans propositum consummat hoc

D 3

pec-

23.  
24.  
20.  
2.  
2.  
2.  
30.

peccatum; Peccatum hoc quoad principium sui requirit constans in se propositum, si jam consummatum sit, simulatque habet propositum constans, & propositum hoc habet peccator ante finem vitæ, ergo ante finem vitæ consummatum est, ergo falsum est, illud in fine demum vitæ consummari, ergo evanescit distinctio peccati contra Sp. S. inchoati & consummati.

## §. XXXVIII

Deinde quicquid entis prædicatum, quod determinatur per aliud, illud non est essenziale, constans in peccato propositum determinatur per aliud, malitiam absolute insanabilem, quæ si absolute insanabilis non esset, propositum per se non posset esse in peccato constans, ergo non est constans propositum in peccato, seu perseverantia finali, essenziale requisitum peccati in Sp. S. sed ejusdem necessarium consequens. Verba Senioris Georgii Calixti, ad quæ junior provocasse dicitur, hæc sunt: *Impænitentia finalis quodcumque peccatum consequatur, ut nonquam illud remittatur; in causa est, verum quod attinget reliqua peccata, eorum quoddam accidens & externa circumstantia est impænitentia finalis, sive perseverantia in peccato, huic autem intrinseca est.* In quibus primum observetur, quod impænitentia finalis dicatur non minus hoc, quam aliâ peccata, consequi. Quod autem peccatum consequitur; illud idem non ingreditur, at quod formam rei non ingreditur, illud non est rei essenziale; impænitentiam finalem dicit citatus Auctor consequi peccatum in Sp. S. Intrinsecum dicitur illud, quod mediate, aut immediate, determinatur per ipsam entis essentialitatem. Perseverantia finalis seu impænitentia finalis, quæ pec-

23.

24.

2

20

2

2

2

30.

peccatum in Sp. S. consequitur, determinatur per ipsam peccatoris dicti malitiam prorsus insanabilem, Extrinsecum est illud, quod non in interna ejus, quod sequitur, subjecti natura, sed in alia aliqua extra subjectum re existente, sui habet rationem. E. g. Si. quis morte repentina sine pœnitentia moriatur, impœnitentia ejus fuit finalis non per se & sua natura, vel intrinsece, sed extrinsece, seu per accidens.

§. XXXIX.

Verba B. Hieron. Kromaieri, quæ adfert Auctor Cel. ex Theol. ejus Positivo Polemica P. II. 8. Aphor. 19. p. 187. ita fluunt: *De peccato in Sp. S., inquit, à posteriori, finali, scil. impœnitentia judicium ferendum est, & paulo post. Ultimum enim requisitum hujus peccati, finalis scil. impœnitentia, & omnium salutis mediorum abjectio, facit hoc peccatum irremissibile; Cum nobis non datum sit pectora introspicere hominum, non possumus de subjecto peccati in Sp. S. aliquod ferre judicium, nisi à posteriori, h. e. ab impœnitentia finali: at exinde non sequitur, ut impœnitentia finalis sit essentiale peccati in Sp. S. sed illa probat dari in peccatore isto malitiam absolute insanabilem, alias impœnitentia per se suaque natura non fuisset finalis. Duratio probat dari ens, ergo duratio est essentiale entis, seu influit in esse entis! Deinde quod dicit citatus Auctor, quod *impœnitentia finalis, ut peccati hujus ultimum requisitum, & omnium salutis mediorum abjectio, facit, ut peccatum sit irremissibile*, sibi aliud non vult, quam quod, irremissibilitas per impœnitentiam finalem, hæc per omnium salutis mediorum abjectionem, quæ denique per malitiam insanabilem, determinetur, & per*

per consequens non esse essenziale ejus, cum id, quod determinatur, non sit ejus, per quod determinetur, essenziale.

Christoph. Wilckius, cujus allegatur Theol. in speculo art. § 34 p. 149.

*Peccatum in Sp. S. definiens, inter cetera dicit esse malitiosam, pertinacem, incorrigibilem, finaliter perseverantem, proptereaque irremissibilem abnegationem veritatis divine.*

§. XL.

Heic observetur, quod allegatus Theologus, postquam descriperit peccatum in Sp. S. per *abnegationem veritatis divine malitiosam, pertinacem, atque incorrigibilem*, addiderit tandem: *finaliter perseverantem*, quippe quæ per incorrigibilem malitiam determinatur; *proptereaque irremissibilis*, adeo ut exinde pro sua stabilienda sententia nihil prorsus lucretur Vir Cel. Carpovius. Nam ex Wilckii sententia determinatur irremissibilitas hujus peccati per perseverantiam finalem, hæc vero per incorrigibilem malitiam, veritatem divinam abnegandi. Id entis prædicatum, quod per aliud determinatur, illud non est entis essenziale. Perseverantia finalis, ex sententia Wilckii, reliquorumque heic citatorum Theologorum, per aliud aliquid (*incorrigibilem, seu insanabilem veritatem divinam abnegandi atque oppugnandi malitiam*) determinatur; ergo non est perseverantia finalis essenziale quoddam peccati in Sp. S.

§. XLI.

Nec aliter, quantum ex verbis ejus citatis constat, sta-

statuit Vir S. R. D. Engeström; Verba ejus prouti ab Adversario ejus n. 14. Spec. I. citantur, ita sese habent p. 19. Disp. de satisfactione Christi pro peccato in Sp. S. *Sequitur hoc*, inquit, *ex natura ipsius peccati questionis* (i. e. in Sp. S.,) *quod sine intervallo constanter rejicit omnia salutis media.* Statuit Vir S. R. rō constanter rejicere omnia salutis media sequi ex natura dicti peccati, haud aliter ac effectus sequitur ex natura causæ agentis; qualis enim effectus, talis causa. At quis dixit unquam, effectum influere in esse causæ agentis, cum tantum probet dari causam agentem: effectus enim sine causa non datur. Cum dictum peccatum sit malitia plane incorrigibilis, aliud ex natura ejus sequi non potest, quam constans ejusdem exercitium in rejiciendis omnibus salutis mediis. Constans enim illa omnium salutis mediorum rejectio determinatur per malitiam dicti peccatoris plane insanabilem. Et p. 21. *Natura peccati in Sp. S.* inquit *Vir S. R. constantem involvit rejectionem mediorum salutis.* Si natura dicti peccati involvat mediorum salutis rejectionem per se patet, rejectionem mediorum salutis determinari per naturam dicti peccati, ideoque ejusdem non esse essenziale. Et quod ea *constanter* rejiciat, prodit apertissime malitiam insanabilem. Et p. 25. citata, *Ex interna hujus peccati forma. (i. e. essentia) est quoque, ut constanter omnia salutis media, rejiciat.*

## §. XLII.

Neque hæc verba sibi aliud volunt, quam quod constans mediorum salutis rejectio determinetur per internam peccati hujus formam (malitiam impugnandi veritatem de Messia cœlestem plane incorrigibilem) Denique p. 27. 28.

E

impæ-

*impœnitentia ad finem usque vitæ est peccati in Sp. S. adjunctum inseparabile, & p. 14 perseverantia finalis in peccato questionis est adjunctum quid.* Peccatum in Sp. S. est malitia oppugnandi veritatem de Messia cœlestem plane infanibilis; ergo pœnitentia in eo peccatore impossibilis; ergo impœnitentia finalis adjunctum ejus peccati inseparabile. Ergo non ex iisdem, nec ex reliquorum Theologorum, ad quos provocat, dictis, quidquam habet, quod in suas partes, nisi per crines, trahere potest Vir Celeberrimus Dn. M. Carpovius.

## §. XLIII.

Neque hoc loco prætereundum puto, quod in eundem, quem viro S. R. D. Engeström acerbe nimis exprobrat, incidit errorem Vir Celeberrimus, quod evitasset sane, si ad ea, quæ ipse pag. 16. §. XII. monuit, rite attendisset: *Carere enim, inquit, omni vitio debet, qui in alterum dicere est paratus.*

Impœnitentiam vel perseverantiam finalem, modo dicit, esse *ex natura peccati in Sp. S. modo e forma ejus interna*, modo illam *hujus peccati adjunctum & adjunctum inseparabile* appellat. *An vero hæc ambulant pari passu? Ne dicam, Metaphysicos accuratiores naturam entis a forma ejus interna, h. e. ab essentia ejus distinguere, valet ne idem esse ex essentia vel forma entis, & esse adjunctum entis?* In quibus cum latentem contradictionem se detexisse dixerit, addit in fine §. XIII. p. 17. *Nam ubi ipse sibi contradicit opponens, dum tollat contradictionem, responsione non est dignus.* Loquendi formulæ: *impœnitentiam finalem esse e forma interna, ex natura peccati, & esse adjunctum inseparabile*, quas adduxit Vir Sum-

28

24

2

20

2

2

2

30

Summe R. D. Engeström, videntur tamen Viro Cel. licet adcurato Metaphysico, pari ambulare passu, alias ex iisdem, ut contradictoriis, ad unam eandemque rem, (distinctionem peccati in Sp. S. inchoati & consummati) colligere non potuisset, quod tamen fecit p. 15. ubi post enumeratas singulas istas phrasēs, ut secum facientes, quod de singulis, ut sibi invicem contrariis, sat adcurate affirmare non poterat, dixit: *Itaque ex hiis concessis concludo.* At conclusionem ejus, quam §. XXVIII refutavi, heic repetere nolo. Contradictio itaque hæc, aperitissime prodit, Ipsum in Virum S. R. D. Engeström immerito fuisse invecum.

§. XLIV.

Cum Vir Cel. ad Theologos pro sua vindicanda sententia de *perseverantia finali*, ut *peccati in Sp. S. parte essentiali*, provocet, ad Theologos quoque pro mea sententia, de *perseverantia finali*, ut *non parte peccati in Sp. S. essentiali* provocare volo, ut auctoritati opponatur auctoritas.

B. Fechtius summus Theologus scribit p. 237. syllog. Lect. de peccato ita:

*Dices denique, in peccatum in Sp. S. non resisti tantum mediis conversionis, sed finaliter resisti. Resp. I. Quo scripturae indicio probabitur, resistantiam finalem ad peccatum in Sp. S. vel essentialiter, vel consequenter requiri. II. Aut peccatum in Sp. S. in se, præcisa finali resistantia, revocantem gratiam excludit, eo ipso, quia maximum omnium peccatorum est & ita ad finalem resistantiam respiciendum non est; aut revocantem gratiam ideo excludit, quia mediis conversionis finaliter sese opponit Sic peccatum*

E 2

tum



tum in Sp. S. præ reliquis peccatis, ad finem usque vitæ durantibus, nihil peculiare habebit, nisi quod circa aliam materiam versetur, quod absurdum.

## §. XLV.

B. Gothofredus Cundisius in Nota 4. Quæst 26. Compend. Theol. B. Leonhard. Hutteri de peccato, ita loquitur: De peccato in Sp. S. duntaxat à posteriori judicandum esse, magni Theologi censent: notetur tamen hic, quod distinguendum sit inter peccatum hoc in se & respectu sui consideratum, certe à priori de ipso, & secundum discretam notitiam judicari potest, ac debet, præsertim cum luculenta Scripturæ testimonia naturam ejus expriment ac definiant. Si vero de certa aliqua persona, sive de individuo, hoc vel illo, queratur, tunc demum locum habet illud, quod non nisi à posteriori sit judicium faciendum, quando nimirum qui sic peccare nobis videtur, sic etiam tandem vitam claudit. B. Hutterus cap. 2. de peccato in Sp. S. membr. 2. p. 357. Et Hutterus ipse, prouti in notis uberioribus B. Tridem, Bechmanni inducitur, sequenti modo Quæst. 28. de peccato loquitur. Quo ergo sensu illud (peccatum in Sp. S.) dicitur irremissibile? Quia illud nunquam ipso actu remittitur: idque culpa ac vitio sic peccantis: quia talis a Christo, extra quem nulla pro peccato reliqua est hostia, voluntarie deficit, 2. Quia sic peccans organa ac media salutis, sine quibus remissio peccatorum nemini obtingere potest, contumaciter negligit, contemnit & pedibus quasi conculcat. 3. Denique hoc peccatum conjunctum est cum finali cordis induratione, ita ut obfirmato postea quodam proposito, scientes volentes veritatem agnitam horribiliter impugnare & blasphemare pergant.

§.

§. XLVI.

Quibus clarissime innuit B. Auctor, τὸ non remitti hujus peccati determinari per τὸ deficere à Christo, hoc per organorum salutis contemptum, illud vero *per finalem cordis indurationem*, qua, ut pœna, punitur peccator prorsus incorrigibilis per §. XIX seq τὸ itaque pergere in hoc peccato per aliquid aliud determinatur, ergo non est, ipso concedente Viro Cel. Carpovio, peccati hujus essentialia. Acutissimus Bartholinus, Theologus Danus, etiam negavit, perseverantiam finalem pertinere ad peccati in Sp. S. essentialia. vid Elementa ejus Theologica de peccato,

§. XLVII.

Impœnitentiam finalem non esse partem peccati in Sp. S. essentialiam, sed tantum ejusdem adjunctum, seu accidens, licet inseparabile, statuit quoque ita B. Joh. Fried. König Theol. Positivo. Acroamat. §. §. 162. 163. de Peccato in Sp. S. Verba ejus hæc sunt: *Adjuncta hujus peccati (in Sp. S.) sunt I) impœnitentia finalis Hebr. VI. 4. 5. 6. II. irremissibilitas absoluta Matth. XII. 31. Marc. III. 28. Luc. XII. 10. III) exclusio a precibus. 1. Joh. V. 16 Impœnitentia finalis, quanquam non sit de formali ratione peccati hujus, siquidem duratio rem intrinsece non constituit. Pharisei insuper ante finem vite sue, rei hujus blasphemie a Christo pronuntiati fuerunt, Matth. XII. 24. 31. Marc. III. 22. 29. 30. est tamen accidens ejus inseparabile. Unde haud facile quisquam ante obitum peccati hujus reus statuendus.*

§. XLVIII.

In quæ verba rotunde & solide pro more suo

E 3

com-

commentatus est in Collegio suo *Manuscripto* Vir illustris atque S. Rev. Consistorii Duc. Consiliarius, Theol. D. & Profess. F. A. Æpinus, Hospes meus summo cum honore semper nominandus. Cum, inquit, *queratur, an impænitentia finalis pertineat ad formalem rationem peccati in Sp. S. ita, ut illud intrinsece constituat?* Respondendum est, *negando: Quod si enim impænitentia finalis peccatum in Sp. S. intrinsece constitueret, aut formalem ejus rationem ingrederetur, sequeretur, omnia peccata, quæ cum impænitentia finali conjuncta sunt, & actu damnationem interunt, esse peccata in Sp. S. quod falsum; sic enim damnati omnes essent peccatores in Sp. S. Quandoquidem incredulitas finalis immediata, proxima & adæquata causa est damnationis. Marc. XVI. 16. Joh. III. 18. 36. Recte igitur Auctor dixit, impænitentiam finalem esse accidens inseparabile, seu necessarium adjunctum hujus peccati. Si vero ratio queratur; Undenam impænitentia finalis cum peccato in Sp. S. conjuncta sit? Ex formali ejus ratione respondendum est, quia nim. est malitiosa resectio omnium mediorum gratiæ & salutis, quapropter Deus ex justo judicio tali peccatori gratiam suam, quam ipse malitiose respuit, subtrahit, denegatque, ut in sensum reprobum datus, æterna salute excidat. Recte quoque Auctor in fine §. observavit, haud facile quemquam ante obitum peccati in Sp. S. reum esse pronunciandum. Ratio enim est, quia nullus homo aliorum corda introspicere, & quo animo quisquam veritatem evangelicam abnegaverit vel impugnaverit, & blasphemaverit, utrum ex malitia, an ignorantia, novise potest.*

*Sicuti nec constare nobis potest, an talis homo per illam veritatis divinæ impugnationem penitus à Deo deser-*

*tus*

tus sit, & in impœnitentia ad finem usque vita perseveraturus.

§. XLIX.

Impœnitentiam finalem non pertinere ad essentialia peccati in Sp. S. demonstravit quoque B. Hollazius in Examine theol, Quæst. 45. de Peccato. ubi hæc habentur verba: *Si per impœnitentiam finalem intelligatur pertinax & obfirmatum voluntatis propositum omnia gratiæ media rejiciendi, utique ea de essentia peccati in Sp. S. est;*

*Sin impœnitentia finalis durationem perseverantem notet, non essentialia requisitum atrocissimi peccati, sed adjunctum commune, idque inseparabile est.* Pertinax illud & obfirmatum voluntatis propositum considerari merito debet, prouti est ante actum, & prouti denique est in statu, indurationis. Si consideretur, ut est, ante actum indurationis, constituit omnino essentialia peccati in Sp. S. Nam si propositum illud voluntatis abnegandi & impugnandi veritatem, sit pertinax, obfirmatum atque plane insanabile, accedit induratio ut pœna, à Deo, ejusmodi insanabilis nequitiae acerrimo vindice juste inflictæ, adeo ut gratia illuminationis turpiter spreta ulterius ita de negetur, ut talis pertinax peccator videns non videat, i. e. intelligendo in spiritualibus nihil intelligat: quo factò; sequitur status occœcationis atque indurationis:

§. L.

Nam cum talis peccator per pœnam, ob habitualement & prorsus insanabilem malitiam inflictam, sit ita constitutus, ut genuinum illuminationis gratiosæ usum admittere non possit, est pœnitentia, quæ sine illuminatione fieri

23.  
24.  
20.  
2  
2  
2  
30

fieri non potest, ipsi omnino impossibilis, unde sequitur continua pertinacis, obfirmati & prorsus insanabilis propositi repetitio. Istud itaque insanabile propositum, quod actum indurationis sequitur, determinatur sane per malitiam illam insanabilem, ob quam induratio divina, ut pœna, accessit, ergo non est essentialiale, licet enim continuum sit essentialium peccati in Sp. S. exercitium, essentialiam tamen non absolvit; nec consummat, nisi dicere velis, peccatum quoddam non esse consummatum in se, quousque poterit repeti, crebriusque exerceri.

Malitia per crebros actus illicitos habitum sibi acquirit, qui eam itaque ut habitualem sequuntur actus, non consummant eam, sed eandem jam consummatam esse produunt.

## §. LI.

Dices, si desineret perseverantia, non esset peccatum in Sp. S. consummatum. Non sequitur: Homo, si desinat vivere, non est amplius homo consummatum; ergo nec est, nec forte unquam fuit homo consummatum; ergo tō vivere facit, ut homo sit consummatum, scilicet! Malitia impugnandi veritatem de Messia cœlestem, est aut sanabilis, aut non. Si prius; non est peccatum in Sp. S. Sin vero posterius, frustra additur: *Si desineret.* Quomodo enim desineret. cum subjectum ejus sit insanabile, *alias esset sanabilis atque insanabilis simul*, quod primo cognoscendi principio contrariatur. *Non fuisset Christus distributive locutus, blasphemiam spiritus non remissum iri, neque in hoc, neque in futuro, seculo, nisi præsupsisset, etiam in hoc seculo ante excessum illud esse, vel esse posse, consummatum, verba sunt Hollazii l. c. (Prob. b. 2.*

§. LII.

Quemadmodum igitur distinctio peccati in Sp. S. inchoati & consummati fundamento innitur plane infirmo, quoniam perseverantia finalis, licet per eam determinetur ejus peccati irremissibilitas, non tamen est essentialis dicti peccati, cum & ipsa per aliud aliquid (malitiam videlicet incorrigibilem) determinetur, cumque principium sit illud, quod in alio rationem sui non habet; perseverantia finalis immerito dicitur principium, cum rationem sui in alio (malitia plane insanabili) habeat: ita est conclusio ad entis cujus consummationem ex eo, quod ad ejusdem non pertinet essentiam, longe falsissima. Provocat iterum §. XI. Vir Cel. ad §. 29. Diff. de peccato in Sp. S. Fried. Ul. Calixti. qui inducitur scripsisse: *Sane illa (impœnitentia finalis) facit, ut hoc peccatum perfectum sit & consummatum; certo vero scire (quando perfectum & consummatum) quoniam adyta cordis intraspicere non possumus, maxime dubium & difficile existit.*

§. LIII.

Si verba citati Auctoris antecedentia cum consequentibus cohaereant, cohaerent autem, non voluit Auctor, peccatum in Sp. S. per perseverantiam finalem consummari, sed ex eadem tantum, ut à posteriori de consummatione ejusdem esse dijudicandum, quum res ista aliter dijudicari nequeat. Homini enim concessum non est, interiora hominis adeo rimari, ut constet, sanabilis sit hominis malitia, nec ne: observata autem finali perseverantia, de ejus, cui inest, subjecti incorrigibilitate, nullum esse potest dubium. Loquitur itaque Calixtus de impœnitentia, ut de signo diacritico, & non tanquam de

F

parte

parte quadam essentiali hujus peccati, alias contrariaretur sibi ipsi: Potest enim observari, ubi sit impœnitentia finalis cum blasphemia conjuncta. Impœnitentia, seu perseverantia in blasphemia finalis, consummat peccatum in Sp. S. Ergo non difficile, sed facile, non dubie, sed certo sciri potest hujus peccati subjectum. Licet itaque hoc peccatum non possit sine finali perseverantia hominibus, qui nihil de ipso, nisi à posteriori dijudicare possunt, videri, ut consummatum, exinde tamen non sequitur, idem illud in se ante finalem impœnitentiam non esse perfectum consummatumque.

## §. LIV.

Venio nunc ad Dictum Joh. V. 16. *Si quis videat fratrem peccare peccatum, non ad mortem, roget, ut dabit (Deus) ei vitam, peccantibus non ad mortem. Peccatum est ad mortem, non pro eo dico; ut roget. De peccato non ad mortem observandum est, quod per illud non intelligatur hoc loco peccatum sic dictum mortale, seu proæreticum. Nam pro eo peccatore oraretur, ut daret ipsi Deus vitam. Vita autem, sive heic intelligatur temporaria, sive spiritualis, seu æterna, non amittitur, nisi per peccata proæretica (Princip. theol.) Si itaque amitteretur, amittenda sane erit per peccata mortalia, ergo sermo heic non est de peccatis sic dictis venialibus. Ergo orandum esset pro mortaliter peccante fratre, ut daretur ipsi vita spiritualis, seu ut gratia sua vellet Deus eum ita sublevare, ut erigeretur, converteretur, ac spiritualiter revivesceret,*

## §. LV.

Conversio peccatoris ad Deum fiat, necesse est, (per prin-

19.

princip. Theol.) in hac vita; conversio sequitur lapsum, seu peccatum, instituendaque est ante mortem temporariam, post enim eandem locus conversioni nullus est. Cum *id orare*, & *non orare* sibi invicem opponantur, oppositorumque opposita sit ratio, patet, ut, quemadmodum pro peccante mortaliter, in hac vita, & quidem ante mortem ejus temporariam, orandum esset, ita etiam pro peccatore ad mortem hac in vita peccante, non oraretur. Et sicut oraretur pro mortaliter peccante, ut ante mortem suam converteretur, ita vi oppositorum *pro peccante ad mortem* seu in Sp. S. non oraretur, ut ante mortem suam converteretur; ergo datur peccatum in Sp. S. consummatum ante mortem; ergo non demum ipsa-cum morte consummatur; ergo falsum est, perseverantiam finalem consummare hoc peccatum.

§. LV.

Denique peccare ad mortem, non est in peccato ad mortem usque perseverare, sed committere peccatum morte dignum. Omnia quidem peccata, si legaliter considerentur, sunt morte digna, Evangelice vero considerata, non item, interveniente videlicet merito Christi, fide viva adprehenso; hoc autem peccatum, sive legaliter, sive evangelice spectetur, morte dignum, cum subjectum ejus, medium, quo alias erigeretur, malitia absolute insanabili respuat. Cum itaque peccator ille veritates de Messia cœlestes, ad salutem homini adplicandas, pravitate incorrigibili oppugnet, est veritatis cœlestis, & consequenter, Dei Ecclesiæque ejus hostis infensissimus, esset adprecarî illi, qui absolute insanabilis est, conversionem, absurdum; impossibila enim non sunt petenda.

§. XXXVII.

*Si quis, ait Sacer Auctor, videat fratrem suum peccare*

F 2

care



*care ad mortem, quæ loquendi formula satis innuere videtur, fuisse tunc temporis certa quadam criteria, quibus peccator hic dignosceretur. Blasphemia finalis potest quidem à posteriori observari per §. LIII. At cum ea ad essentiam peccati in Sp. S. non pertineat per dicta supra explicata, quid? quod per definitionem prædicati entis constantis, quam ex Metaphysica §. X. p. 13. Spec. I. ipse suppeditavit Auctor Cel. quaque contra ipsum in transitu sæpius sæpiusque usus sum, iterum recurrendum est ad textum sacrum, contextumque, ac sedulo inquirendum, annon ipse seipsum explicando nodum hunc solvat. Divus Johannes loquitur 2. Epist. 7. *de impostoribus, qui non confitebantur Jesum Christum venisse in carnem. Hic est, inquit, impostor ille & anti-Christus.* Illi, qui negabant, Jesum Christum venisse in mundum, dicuntur falsi prophetæ 1. Epist. IV. 1. 3. *quos, cum essent ex mundo, loquerenturque ex mundo, mundus audiebat §. vers. cit. Epist. illos nemo superare poterat, nisi qui credebat, Jesum esse filium Dei.* 1. Joh. V. 15. 10. 11. 12. & 2. Epist. 9. *Quicumque, qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, nullum habet Deum; qui manet in doctrina Christi habet & patrem & filium.* vers. 10. *venerit quis ad vos, & hanc doctrinam secum non habet, ipsum domum ne recipiatis, neque salutetis.* Hinc patet, falsos doctores, seu impostores esse eosdem illos, quos legatus Divinus vocavit peccatores ad mortem, quod competit quoque Pharisæis & Scribis, qui ideo falsi fatuo, seu inutili adsimulabantur & dicuntur, seipfos & alios regno cælorum exclusisse Matth. XXIII.*

## §. LVII.

Si jam illi falsi doctores, Apostatæ, impostores, &  
veri-

19.

23.

24.

2

20.

2

2

2

2

2

30.

veritatis Divinæ persecutores insanabiles essent, ut eos fuisse probat exemplum Pharifæorum, signa erant apertissima, quibus peccatores in Sp. S. dignosci poterant. Deinde dicit Divus Johannes, ejusmodi homines non esse salutandos. Salutatio est quoque precationis species, qui enim aliquem salutatur, ille sane illi boni quid à Deo adprecat. Talibus peccatoribus non licebat dicere vale, ne *operum eorum, seu doctrinæ*, ut beatus Wolfius in Curis suis Philolog. ad h. l. ex collatione versuum 15. 16. Apoc. II. egregie statuit, fieret per familiaritatem, amica salutatione contrahendam, salutator particeps. Quo pertinet illud. *Hominem hereticum fuge, una alterave admonitione facta, sciens quod perversus sit, & peccet, ut qui se ipsum condemnavit, i. e. insanabiliter malus est.* Tit. III. 10. 11. quanto minus licebat pro ipsis orare. Qui itaque unam alteramve non admittebat admonitionem, ille haberetur juxta expressa Apostoli verba pro perverso atque insanabili.

§. LVII.

Evolvens locum B. Kromayeri Theol. Positivo Polem. P. II. loc. 8. Aphor. 19. p. 182. ad quem Cel. Dn. Carpovius pro distinctione peccati in inchoatum & consummatum vindicanda, provocavit, invenio sensum longe alium, quam qui Viro Cel. inservire possit. Verba Kromayeri hæc sunt: *Johannes. (1. Epist. V. 16.) cum de Peccato ad mortem non dicit, ut aliquis roget, peccatum hoc (in Sp. S.) non inchoatum, quoad aliquos scilicet gradus & requisita, sed consummatum intelligit.* In quæ verba commentatur Cel. Carpovius. §. X. Spec. I. ita: *Consummari vero hoc peccatum per*  
 F 3 *finis*

*finalem impœnitentiam, docet dicens paulo ante: Ultimum requisitum hujus peccati est finalis impœnitentia.*

*Doleo igitur (ait Cel. Carpovius) Virum S. R. Engeström ad locos communes Theologicos identidem provocantem, hæc in illis non invenisse. Ego vero doleo, Virum Cel. Carpovium, non melius collatis antecedentibus & consequentibus, eruisse genuinam B. Kromayeri mentem.*

Disputat, B. Auctor contra eos, qui ex quibusdam gradibus, seu criteriis de peccato in Sp. S. temere pronunciant. Quibus opposuit Aphorismum suum, ita sonantem: *De peccato in Sp. S. non temere pronunciantum, sed à posteriori, finali, scilicet, impœnitentia iudicium ferendum.* Et cum nos non nisi à posteriori (impœnitentia finali) certo colligere possimus, malitiam ejusmodi peccatoris esse insanabilem, dixit B. Auctor, impœnitentiam finalem esse ultimum ejus peccati requisitum, unde videlicet indubie dignosceretur; Aliud itaque est *in se consummatum esse*; & aliud *aliis consummatum* videri; Impœnitentia audit ipsi ultimum dicti peccati requisitum non respectu formæ, sed respectu dijudicationis humanæ.

§. LVIII.

Verum, ait, B. Kromajerus, *licet hæc ipsa (impœnitentia finalis) peccati dicti requisitum sit ultimum, quia tamen Scriptura formale citatis in locis nobis aperuit, & alias quovis finaliter impœnitens peccati hujus postulari posset, illud ipsum definimus, quod sit malitiosa oppugnatio, & omnium salutis mediorum abjectio.* In data hac ejus definitione non apparet terminus iste (impœnitentia finalis unde clarum est, impœnitentiam finalem ipsi non visam fuisse requisitum peccati hujus essentielle, sed ultimum, quo dignosci poterat, respectu iudicii

de

de ipso ferendi, requisitum. Et ne perseverantia finalis videretur hujus peccati essentialis, dixit B. Auctor, se vel-  
le per definitionem formale ejus, quale illud Scriptura  
S. aperuit, proponere.

§. LIX.

Pergit Vir Cel. §. XV. pro sua peccati contra Sp.  
S. inchoati & consummati distinctione pugnare, & li-  
cet ipse docuerit, Phariseos tempore Christi i. e. ante fi-  
nem vitæ suæ in summo hujus peccati gradu versatos ef-  
se, idem tamen ante finalem perseverantiam non consum-  
matum fuisse contendit.

Intentio format actionem, vel actio ex intentione  
mensuranda est. Si intentio in summo malitiæ gradu sit,  
peccatum quoque in summo gradu, seu consummatum sit,  
necesse est. Intentio summe mala, seu in summo gradu  
esse dici non potest, quousque insanabile non est ejus sub-  
jectum; Phariseorum intentio erat in summo gradu ma-  
la, ergo insanabilis. ergo intensive consummata. Hoc  
concedit Auctor Cel. sed juxta contendit, eam esse tantum  
inchoatam, donec accesserit impenitentia finalis; ratio,  
quia fieri potest, ut ejusmodi peccator resipisceret. Ad-  
dita itaque distinctione inter peccatum *intensive* & *pro-*  
*tensive* consummatum, existimat se omnino declinasse ar-  
gumentum e consummata intensione desumptum, sibi que  
à Viro S. R. Engeström oppositum. Cum peccatum in  
Sp. S. inchoatum, tantum qua *protenfionem*, licet qua  
*intensionem*, consummatum, se intellexisse dicat. Sed  
merite observandum est. Intentionem Phariseorum, si  
corrigi potuisset, non fuisse in summo gradu malam. At  
corrigi non poterat, ergo erat in summo gradu mala. Et  
cum corrigi non posset, impossibilis sane esse resipiscen-  
tia

tia eorum, quod sæpius supra observavi. Deinde cum duratio temporis, seu perseverantia finalis, non pertineat ad essentialia peccati in Sp. S. per §. §. anteced. in propatulo est, peccatum in Sp. S. per eandem non consummari, sed *protensionem*, peccato in Sp. S. consummate existenti, competere, ut documentum, idem esse consummatum, alias per se protensionis non capax.

## §. LX.

Quousque peccatum in Sp. S. poterit repeti, non est, ex mente Viri Cel. protensive consummatum, sed tantum inchoatum. Peccatum in Sp. S. ad mortem usque potest repeti, ergo ad mortem usque est inchoatum, & consequenter remissibile. Sed merito inverto hoc argumentum:

Malitia, quæ non potest non ad mortem usque repeti, illa est plane insanabilis,

Atqui peccatum in Sp. S. ita: ergo. Minorem concedit ipse Viri Cel. quod videlicet Pharisei erant in summo hujus peccati gradu, qua intensiorem, ergo malitia eorum quoque intensive consummata, ergo pejor, quam erat, fieri non poterat; at si sanabilis fuisset, non fuisset in summo gradu; At jam tum erat in summo gradu; ergo prorsus insanabilis. ergo non potuit non perpetuo continuari: ergo frustra supponatur pœnitentia eorum fuisse possibilis. Nam quemadmodum homo senex non homine infante, qua essentialia, perfectior est, ita nec facit perseverantia finalis, ut peccatum in Sp. S. sit qua essentialiam suam consummatius. Anni reddunt quidem hominem seniore, non tamen magis hominem; Infans enim est æque homo ac senex. Nam essentialia hominis, qua hominis, gradum perfectionis per annos non adquirunt; *ἀπείρο* est quoque accidens, si inest subjecto sana-

23.

24.

2

20

2

2

2

20

sanabili, manet tantum temporaria, fin vero inest sub-  
jecto prorsus insanabili, non potest non permanere fina-  
lis. Non ingreditur essentiam peccati, sed ex eodem,  
ut ex matre filia, nascitur.

Fides per peccata proæretica extinguatur, qua ex-  
stincta, sequitur ἀπίστια i Timoth. 1. 19. in subjecto sanabi-  
li, temperaria, in insanabili vero, finalis.

§. LXI.

Pergit ulterius Vir Cel. probaturus, peccatum in  
Sp. S. consummari per perseverantiam finalem, quæren-  
do p. 20 §. XVI. *utrum Christus Phariseis blasphemanti-  
bus omnem remissionem denegavit, spectato hoc actu tan-  
tum, an spectata simul perseverantia finali, quam Chri-  
stus per omniscientiam in omnibus, certe in multis eorum,  
previavit? Quæstio heic non est, an Pharisei commisse-  
runt peccatum in Sp. S.*

Hoc enim concedit Auctor Cel. Sed quæritur an  
peccatum illud hoc ipso blasphemandi actu, cujus  
mentio fit Marc. III. 29. adeo consummarunt, ut  
ipsis absolute denegaretur remissio. At ante hoc tempus,  
quo hanc blasphemiam in Servatorem nostrum evome-  
bant, specimina ediderunt malitiæ suæ insanabilis ut Matth.  
IX. 34. *dicuntur quoque blasphemasse Jesum dicendo, ipsum  
habere diabolum, per quem alios expelleret diabolos.* Idem  
quoque dicebant de Johanne baptista, eos ad frugem me-  
liorem adhortante, quod diabolum haberet Luc. VII.  
33. & vers. 30. loc. cit. *dicuntur contempsisse consilium Dei  
contra semetipsos, & non passos fuisse sese baptizari ab ip-  
so (Johanne)* Qua malitia insanabili visa, interrogavit  
ipsum Johannes, *quisnam ipsis ostendisset ab ira effugere  
ventura?* Matth. III. 7. Qua quæstione satis superque o-

G

sten-

stendit, impossibile esse ipsis peccatorum remissionem. At cur? Quia conversio erat impossibilis; Cur autem erat hæc plane impossibilis? Quia malitia eorum contemnendi consilium Dei contra semetipsos erat plane insanabilis. Cfr. Luc. III. 7. Si itaque insanabilis esset malitia ante convitium Marc. III commemoratum, clarum est, eandem non per hunc actum esse consummatam, sed ex hoc probatur, ut documento infallibili, eam ante fuisse consummatam, & ut consummatam sæpius sæpiusque exercitam.

## §. LXII.


Deinde quæritur: An Servator, cum proclamaret peccatum in Sp. S. irremissibile, idem irremissibile non dixerit propter prævisam finalem perseverantiam? Resp. Christus videbat malitiam eorum esse habitualem: At habitus non per actus ipsum subsequentes, sed ipsum antecedentes, adquiritur.

Habitualis erat malitia eorum antequam Servator hoc dixerat, per Matth. III. 7. Luc. III. 7. VII. 30. Ergo non fuit per perseverantiam finalem demum habitualis, seu consummata; Ergo nec per perseverantiam finalem immediate irremissibilis.

Impœnitentia itaque eorum, quam ut finalem prævidebat Servator, fundamentum suum habebat in malitia eorum insanabili, quæ si insanabilis non fuisset, neque inde resultans impœnitentia, ut finalis, prævideri potuisset.

## §. LXIII.

Dicit Vir Cel §. XV. p. 19. Spec. I. se, cum de graduali peccati in Sp. S. consummatione, agat, intelligere consummationem intensivam. *Inter peccati*, inquit, *in Sp. S. consummationem* qua intensiorem & protensionem, *distinguo, consummationem, qua intensiorem*  
di-



23.

24.

2

20

2

2

2

30

*dicens, qua ad gradus, qua protensionem, qua ad durationem temporis pertinet.* Heic apertis verbis docet, gradus pertinere ad intensionem, & §. XVII. p. 22. ponit dicti peccati gradus in externis exercitiis, à B. Buddeo in Inst. Theol. Dog. 1. 3. c. 2. §. 34. p. 844. enumeratis: *Verbum divinum contemnere, irridere, ludibriis habere, de Spiritus S. operibus contumeliose loqui, cet.* Et Joach. Langio. in Dissert. 2. de peccato in Sp. S. propos. 5. *Exseruit sese in Pharisæis & eorum similibus veritatis hostibus peccatum in Sp. S. diversis modis atque gradibus, uti sunt odia, calumnie, captiones ac detorsiones, cavillationes operum, insidie ac divexationes, ad vincula, exilia, ipsamque eadem usque progressæ.*

§. LXIV.

In hisce sermo est de gradibus externorum peccati exercitiorum, unde hic vel ille videtur esse ita constitutus, ut quædam criteria, ex quibus peccatum in Sp. S. cognoscitur, habeat. At exinde non sequitur, quod ejusmodi homo, qui ob certa quædam signa ita videtur, sit peccator in Sp. S. Paulus enim non tantum erat blasphemus, sed etiam adeo atrox, ut sanctos ad blasphemiam usque divexaret. per Act. XXVI. 11. At quis unquam dixerit, Paulum commisisse peccatum in Sp. S. ne inchoate quidem, sive qua intensionem, sive qua protensionem. Colligere denique à gradu actionis externæ ad gradum intensionis, non valet semper consequentia. Magis apparebat malitia Pharisæorum, cum Christum interimerent, quam cum ipsum alias irriderent. At in se erat semper una eademque malitia, nam semper ita incruduit, ut ipsum occidere voluissent, si licuisset; Nihil deerat malitiæ eorum præter occasionem, aliasque externas circum-



stantias, quibus si non destituti fuissent, Christum longe ante, quam factum est, occidissent.

## §. LXV.

Quibus observatis, clarum est, malitiam Phariseorum, peccatum in Sp. S. committentium, qua intensiorem non fuisse gradualem, licet propter externas circumstantias ita videretur. Intensio enim non semper plenius exprimi potest externis suis limitata circumstantiis. Patet quoque, hisce consideratis, contradictio commissa, quod Vir Cel. gradus peccati modo ad intensiorem, modo ad protensionem referat. Deinde, quod Phariseorum induratum atque insanabilem, alter præ altero atrocius pro oblata occasione veritatem de Messia cœlestem oppugnaverit, non impedit, quo minus omnes voluerint idem æque speciose facere, sed cum alter altero ad malitiam exercendam esset acutior, factum quoque est, ut alterius præ altero malitia videretur speciosior, licet qua intentionem non atrocior.

Peccatum in Sp. S. est insanabilis veritatem de Messia cœlestem, homini ad salutem adplicandam, oppugnandi malitia. Oppugnatio veritatis cœlestis, licet malitiosa, non tamen, quatenus sanabilis, est peccatum in Sp. S. sed si insanabilis est, est sane peccatum in Sp. S. Quæ insanabilitas, fingamus, admitteret gradus, non tamen est illa insanabilitas, quæ in minori gradu est, & propterea forte tantum inchoata est emendabilis & consequenter remissibilis. Nisi per absurdum quis dicere velit, malitiam esse sanabilem atque insanabilem simul.

## §. LXVI.

*Quocirca, pergit Auctor Cel. ulterius p. 23. dari gradus peccati in Sp. S. docet ipsa natura rei & definitio.*  
Resp.

Resp. Si Viro Cel. primum concedatur, perseverantiam finalem esse partem peccati in Sp. S. essentialem, sequeretur quidem peccatum dictum esse tantum inchoatum, & consequenter in minori gradu, donec accesserit perseverantia finalis, ut supremus, qua protensionem, gradus. At ego in superioribus demonstravi, contra rei naturam esse, perseverantiam finalem, videlicet, ad essentiam peccati in Sp. S. referri. Corruit itaque peccati in Sp. S. ut inchoati & consummati distinctio, qua collabefactata & penitus destructa, concidunt quoque superædificati gradus, Annon malitia adeo insanabilis, ut omnem jugiter quærat occasionem se exserendi, at occasione destituta, quominus se externe exserat, in se tamen consummata est, licet à posteriori ob circumstantiarum requisitarum defectum consummata videri non possit? Procul omni dubio. Cum ipsi nil nisi agendi occasio desit.

§. LXVII.

Quid, Quæso, est clarius Servatoris dulcissimi Effato: *Peccatum est aut remissibile, aut irremissibile.* Si prius, non est peccatum in Sp. S. at peccatum in Sp. S. sic dictum inchoatum potest, ipso fatente, imo urgente Viro Cel. remitti: ergo non est illud, quod dicitur inchoatum, peccatum in Sp. S. licet, quadam re cum peccato in Sp. S. conveniat, ut in malitiosa veritatis cœlestis oppugnatione, quæ oppugnatione, licet malitiosa, non tamen est, quatenus ex subjecto, non insanabili oriatur, peccatum in Sp. S.

Nam cum subjectum ejus sit sanabile, potest hoc peccatum remitti; quippe quod proprio peccati in Sp. S. caractere, malitia veritatem de Messia cœlestem oppugnandi insanabili, destituitur. Sin vero posterius, videlicet, irremissibile sit, est peccatum in Sp. S. & non potest remitti, idque,

G 3

non

non propter impœnitentiam finalem, sed propter malitiam in subiecto insanabilem, ex qua *ἀπιστία* demum finalis. Quod pluribus supra ostendi,

## §. LXVIII.

Deinde existimat quoque Vir Cel. à parte peccantis in Sp. S. non esse impossibile, ut convertatur; Scribit enim §. X. p. 37. Spec. 2. hunc in modum: *Addo autem, nec ex parte peccantis in Sp. S. impossibile esse, ut convertatur. Quamvis enim converti nequeat, quamdiu veritatem cœlestem irridet & impugnat, potest tamen, si irridere & oppugnare desinat. Hoc vero an fieri potest? Quidni? Habet enim cognitionem veritatum salutarium cum convictione, quippe alias oppugnatio earum non malitiosa esset. Spec. 1. §. 7. n. 1. Nec Deus omnem gratiam Spiritus, per verbum pulsantis quandoquidem, subtrahit, licet in pœnam contemptus subtrahat gradum ejus superiorem. Itaque licet homo ejusmodi veritatem cœlestem sine dubio propter commoda terrena (hæc enim ratio erat Judæorum Job. XI. 48), irrideat & oppugnet & extirpare nitatur, fieri tamen potest, ut aut summa calamitate pressus, ut Manasses 2. Chron. XXXIII. 10. 12. 13. aut in limine eternitatis positus, terrenaque nihil amplius profutura videns, mutet sententiam, & locum det veritati, contra propriam convictionem antea oppugnata, sicque peccatum sero quidem, attamen serio dolens, & ex animo convertatur; præcipue si judicium futurum salutemque vel damnationem eternam credat, uti crediderunt Pharisei. Act. XXIII. 8.*

## §. LXIX.

In hisce argumentatur Vir Cel. pro conversione peccatoris in Sp. S. primum ex ea, quam habet, cognitione &

& convictione veritatum cœlestium, deinde ex gratia Sp. S. ipsi non omnino subtracta, tum ex contemplatione bonorum terrenorum ipsis, in limine vitæ constitutis, amplius non profuturorum, & ex agnitione demum vitæ, damnationisque, æternæ. Pharisei peccatum in Sp. S. commiserunt, quorum qualis fuerit cognitio Theologica & sequens inde convictio tempore Christi pluribus supra ostendi; At quaeritur, an cognitionem veram, atque exultantem inde convictionem ante indurationem habere non potuerint? Procul omni dubio habere potuerint, alias ad scrutinium scripturarum frustra ablegati fuissent Joh. V. 39. Quod cum partim supine neglexerint, partim ea, quæ exinde noverant, pertinaciter noluerint credere, tanto major eorum censenda est malitia, & cum nec voci patris, de filio suo testantis, neque, scriptis Mosis, de Christo contestantibus, crediderint 37. 47. loc. cit. oculosque suos, ne viderent, ipsi præfracte occluserint Matth. XIII. 14. non potuit fieri, ut sanarentur; Erant itaque absolute insanabiles. Nam cum ea, quæ noverunt, credere non vellent, cognitio eorum qualiscunque ipsos non juvare, sed damnare, poterat, per Joh. XII. 47. 48. Et tanto quidem magis, quanto certius se ipsos in eum statum potuerint, ut postea non potuerint non mala agere.

§. LXX.

At, dicis, in fine demum vitæ, cum usus rerum mundanarum non essent amplius capaces, fieri potuit, ut ad mentem saniozem redirent.

Resp. non. Nam si hoc in fine vitæ eorum fieri potuisset, non fuissent insanabiles, adeoque nullo plane modo peccatum in Sp. S. commisissent, at eos insanabiles fuisse testatur Christus ipse Matth. XIII. 12. 14. 15. ideoque pœna indu-

23.  
24.  
2.  
20.  
2.  
2.  
29.  
30.

indurationis atque occæcationis perculsos. Objicis: Cum Christus prævideret, ipsos nec in fine vitæ meliores futuros, pronunciavit peccatum eorum irremissibile, ergo propter perseverantiam finalem, ergo ea, ut pars essentialis, ad peccatum in Sp. S. pertinet. Negatur consequentia. Nemo enim punitur, nisi ob malitiam antegressam. Pharisei puniti sunt occæcatione indurationeque, an ob futuram, an vero ob præteritam malitiam?

Servator ipse dixit ob præteritam malitiam hoc factum fuisse: *Quia occluserant perverse oculos, ne viderent sanarenturque.* per Matth. XIII. 15. Impœnitentia finalis non facit, ut malitia sit insanabilis, cum insanabilis esset prius, quam ἀπιστία finalis accesserit, & probat a posteriori, quod insanabilis fuerit, hac enim negata, illa accedere non potuisset, nisi per absurdum dicere velis, consequens influere in esse antecedentis. Quæ malitia adeo erat in illis insanabilis, ut non posset non gravissimam occæcationis pœnam incurrere & impossibilitatem pœnitentiæ absolutam ponere, sequentemque inde impœnitentiam finalem, ac gratiam Sp. S. revocantem penitus penitusque excludere, exclusamque respuere.

Et licet moribundi observarent, bona terrena sibi non amplius profutura, nihil tamen facit ad rhombum. Una circumstantia, ceteris absentibus, ipsos juvare non potuit. Nam quod non proficiscitur ex fide, peccatum est; Fides salvifica in ipsis esse non potuit, quia per externam legis observantiam, seu per propria opera, Deum se ita demereri posse, falso sibi & aliis persuadebant, ut salutem æternam non ex gratia, in merito Christi fundata, sed ex merito ipsis dare teneretur per Matth. XIX. Dixit itaque Servator discipulis suis:

*Nisi justitia vestra superet justitiam Phariseorum Scriba-*  
ba-

harumque, in regnum cælorum haudquaquam intrabitis  
 Matth. V. Manet itaque indubium, conversionem ex parte peccantis in Sp. S. esse per insanabilem in ipso malitiam impossibilem.

§. LXXI.

Nec sententiam meam infringit locus Hebr. VI. 4. 5.

6 Impossibile est, semel (vere) illuminatos renovari cet.  
*ἀδύνατον τὴς ἀπαξ φωτισθέντας - - - καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαθίσσειν εἰς μετανοίαν, ἀνασταυρώσοντας ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τῆ θεῆ καὶ παραδειγματίζοντας.* Ad hæc Cel. Auctor ita: *Non enim peccantibus ibi regressus ad conversionem denegatur simpliciter, sed constructione participii infine adhibita, hypothetice; scil. quamdiu filium Dei denuo cruci adfigant, & in abnegatione illius, ut Messiae, persistant.* Sensus itaque erit reduplicativus: Quatenus aliquis abnegat Christum, eatenus quoque est impossibile, eum posse renovari; At in hoc sensu nihil est præcipue præ reliquis peccatis; Christus enim non ore tantum, sed etiam corde & operibus negatur. Nullus quatenus vel quamdiu in ullo peccato perseveret, potest renovari.

§. LXXII.

Peccatum in Sp. S. habet, licet, quædam cum reliquis peccatis communia, quoddam tamen præ iis præcipuum. Ut hoc loco igitur reditus ad pœnitentiam simpliciter, ut impossibile, proponatur, necesse est: Ratio, quia ejusmodi peccator est insanabilis & profus ineptus, qui renovetur. Quod Apostolus eleganti simili illustrat vers. seq. 7. 8 l. c. *Terra, ait, quæ pluviam in se sæpius demissam, imbibit, & fert herbas aptas sui cultoribus, accipit benedictionem Dei, illa autem (terra) quæ tribulos spinasque fert, est inepta, proximaque maledictioni, finis ejus est, ut comburatur.* Attamen dicis: Deus

H

non

2/3  
24  
2  
20  
2  
2  
2  
30

non omnem gratiam subtrahit. Recte quidem: Remanet enim gratia revocans & illustriori subinde mensura, ut exemplum probat Phariseorum cet. At in peccatore insanabili nihil efficere potest aliud, quam aperte ostendere, Deum nihil facisse reliqui, sed omnia tentasse, quæ saluti vineæ suæ inservire poterant Jes. V. 1 seq. Gratia enim, quæ homini, in statu insanabili constituto, applicari ita non potest, ut inde sanetur, non potest facere, quin æternum moriatur talis apostata; Si, inquit, Apostolus, *transgressor legis Moisaicæ juxta duos tresve testes, sine misericordia moriretur, quanto major vindicta exigenda est ab spontaneè conculcanti sanguinem fœderis* cet. Hebr. X. 28. Conclusio hæc est, si misericordia non fuerit tributa legis transgressori, quanto minus Messia, Evangelii nuclei, insanabili contemptori: ergo absolute morietur ejusmodi perversus peccator.

## §. LXXIII.

Statuit deinde Auct. Cel. p. 39. *τὸ malitiose abnegare, blasphemare & oppugnare, esse propria peccati in Sp. S.* At supra ostendi exemplo Pauli, ista omnia non esse propria peccati in Sp. S. nisi proficiscantur ex malitia insanabili. Notatu dignissima sunt verba B. Hollazii in Exam. Theol. Quæst 43 Prob. e. *Non subito, inquit, ruunt homines in peccatum adversus Sp. S. sed quando ad instar Phariseorum pleni sunt hypocrisis & iniquitate* Matth. XXIII 2. Existimat quoque Auct. Cel §. XII. Spec. II. p. 37. se aliquid habere præsidii pro sua stabilienda sententia de distinctione peccati in Sp. S. inchoati & consummati, in verbis Christi, bis repetitis, Matth. XII. 31. 32 Prædicatum illud peccati in Sp. S. *Non remittetur, & deinde non remittetur, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Allegat ex Schöttgenio & Witsio, seculum futurum sumi sæpius apud Doctores Judaicos, pro tempore Messia, seu N. T. quod non caret fundamento, cum justitia Christi meritoria dicatur Dan. IX. 24 *justitia Seculorum*, ideo quia sub utroque seculo, veteri videlicet, & N. T. valuerit, per Act. XV. 11. §.

§. LXXIV.

Pollicitus est Deus abundantionem gratiæ gradum sub N. T. adeo ut cum typi V. T. per antitypum (Christum morte sua consummatum per Hebr. V. 8. 9) cessarent, omnis tolleretur immundities: *Liberabit Israël omnibus peccatis suis.* Pf. CXXX. 8. Cfr. Jes. XXXIII. 24. Hez. XXXVI. 25. Zach. XIII. 1. Dixit itaque Legatus divinus, *mortem Christi intervenisse ad liberationem a peccatis istis, quæ sub priori Test. erant commissa* Hebr. IX. 15. Si jam per seculum hoc intelligeretur *tempus Mosaicum*, quod ad mortem Christi duravit, eademque finitum est, & per *seculum futurum* innueretur *N. Test.* quod in formam suam, Servatore hoc dicente, nondum redactum erat. quippe morte Servatoris nondum obsignatum confirmatumque, quod necesse erat, ante quam valere potuerat per Hebr. IX. 16. 17. Ratio, cur prædicatum illud: *Non remitteretur*, bis repetierit Servator, minime est obscura: *Primum enim dixit: Non remittetur.* Deinde si quis opinaretur, peccatum in Sp. S. posse, si non in *Seculo Mosaico*, tamen in *Seculo Messie.* seu *N. T.* remitti, cum gratia tum foret amplior; opinioni isti occurrit Christus dicendo: *Neque in futuro seculo.* Nam licet tanta foret sub N. Test. gratia, *ut omnis deleteretur iniquitas*, non tamen *remitteretur peccatum in Sp. S.* Et ne Judæi aliique somniandi locum haberent de remissione ejus post mortem, dixit Servator per Marcum, quod nec remitteretur peccatum illud *in æternum.*

§. LXXV.

Continuat Auctor Cel. p. 40. commentationem suam in Dictum Matth. XII. 32. *In hoc, ait, aut hic est sensus Christi; Quod quisquis peccaverit in Sp. S. licet seriam egerit penitentiam, nunquam possit remissionem impetrare. Aut hic est. Quod quisquis peccaverit in Sp. S. ita, ut in hoc facinore ad vitæ finem perseveret, ita nunquam possit remissionem impetrare. Sed prior explicatio non potest menti Christi consentanea esse, quia neminem ad se venientem ejicit.* Joh. VI. 37.





Conficitur igitur, ut secundum explicationem posteriorem verba Christi capi-  
enda sint. Neutram autem sibi constare, cum pace Auct. Cel. dict. ve-  
lim, ostendam. Nam peccatum in Sp. S. est malitia veritatem de Messia  
cœlestem, ad salutem homini adplicandum, oppugnandi insanabilis.  
Subiectum autem insanabiliter malum, non conversioni, sed combu-  
stioni, aptum est per Hebr. VI. 8. Cumque ineptum sit ad conver-  
sionem frustra supponitur, illud posse venire ad Christum, nisi sine  
conversione ad Christum accedere possibile sit. At cum ad Christum  
nec venit, nec venire poterit, sine misericordia æternum morietur.  
per Hebr. X. 28.

§. LXXVI.

Deinde cum prædicatum, quod per aliud aliquid determinatur,  
non sit rei, cui adest, essentialis; Et perseverantia finalis in peccato  
adversus Sp. S. determinatur per malitiam impugnandi veritatem  
de Messia cœlestem insanabilem, non est illa pars peccati ad versus  
Sp. S. essentialis. Ergo non facit illa, sed probat tantum, quod pecca-  
tum in Sp. S. sit malitia insanabilis; At peccatum in Sp. S. ut ma-  
litia insanabilis, facit omnino, ut perseverantia accesserit finalis. Qui-  
bus rite consideratis, oppido patet, impossibile esse ex parte peccan-  
tis in Sp. S. ut convertatur, quod negat Auct. Cel. & causam, cur e-  
jusmodi peccator non convertatur, in satisfactionem Christi, ac si  
non præstitam pro perseverantia finali, quam partem dicti peccati  
consummati essentialem constituit, omnino derivat scribens §. VII.  
n. 14. p. 9. Spec. I. *Quia Christus non satisfecit pro ἀπίστια finali, nec sa-  
tisfecit pro peccato in Sp. S. consummato. Nam hoc cum ἀπίστια finali  
conjunctum est.*


Hiscæ, quæ jam scripta sunt, rite perpenfis, sibi constare fa-  
cile crederem, perseverantiam finalem non esse partem peccati in  
Sp. S. essentialem; nulliusque usus esse distinctionem peccati ad-  
versus Sp. S. inchoati & consummati, neque eandem in sacris ora-  
culis, rite explicatis, ullum habere fundamentum.

De satisfactione Christi pro peccato in Sp. S. etiam sic dicto  
consummato, & Termino peremptorio in parte II. agere constitui,  
Conserva nos, Deus, in verbo tuo! Verbum tuum  
est veritas.




Index.

- 1.) Hafaus de Tribus sicuti creditur necessariis. P. I.
- 2.) \_\_\_\_\_ P. II.
- 3.) \_\_\_\_\_ P. III.
- 4.) Lampe de Inspiratione.
- 5.) Konnen de Donis Spiritus S. Extraordinariis P. I.
- 6.) \_\_\_\_\_ P. II. (Rel. V.). Tom II Theolog.
- 7.) \_\_\_\_\_ de Juribus Satanae veris & praetensis in genere humana.
- 8.) Kirchhoff de Christo homine obligatione legum div. anteced. & externa soluto.
- 9.) Konnen de Summo Dominio Secundum Egalitatem in Universum.
- 10.) Scheele de Praesentia Salutis humanae per Christum parte pro felicitate concreatâ in statu integ.
- 11.) Konnen de Fide in Nomen Domini nostri, Jesu Christi, Filii Dei.
- 12.) Carporii Illustrationis apologeticae Peccati in Spiritum Sanctum Specimen I
- 13.) \_\_\_\_\_ Spec. II
- 14.) \_\_\_\_\_ Spec. III.
- 15.) \_\_\_\_\_ Spec. IV.
- 16.) \_\_\_\_\_ Spec. V.
- 17.) \_\_\_\_\_ Spec. VI.
- 18.) \_\_\_\_\_ Spec. VII.
- 19.) Observationum contra Carporii sententiam de Peccato in Sp. S. Pars I.
- 20.) Schwarz de Sensuum in dijudicanda Transubstantiatione Missae Testimonio.
- 21.) Konnen de Aucta Beatorum gloria post consummationem Mediationis.
- 22.) Lampe de Poenarum Aeternitate. Pars dogmatica.
- 23.) \_\_\_\_\_ Pars elenctica.
- 24.) Konnen de Rebus Tabernaculi typis coelestium.
- 25.) Camerarius de Luctu precum.
- 26.) Meier de Discrimine eorum quod Naturale & Morale dicitur in Theologia.
- 27.) Serpili Scior Theologorum.
- 28.) Zacharia de Fraternalitate Christiana.
- 29.) Lindberg de Praejudiciis practico Christianismo noxiis.
- 30.) Kon Mithoffen de Prudentia rupturientium gamica.

















differtaturus publicè. Notus  
 tificiorum est clamor, non nisi  
 ngò natos à Lutheri temporib9  
 tantium Theologos, manifestò  
 giæ indicio. Sed nux illa nix, &  
 est, hominum vana ac profana  
 . Retorqvere eqvidem, proprio-  
 ectantes gladiò jugulare liceret,  
 ad ipsorummet summorum  
 provocare Exempla, v. g. Sixti V,  
 quondam Pastor, pastorum  
 se administrasse prædicatur ab  
 iriis. Ast nolumus. Habuere  
 e Protestantium, si gloriari fas  
 Pontificia, Doctores Celsissimo  
 emmate natos. *Lutherana GE-*  
*Anbaltinum Principem*, cujus pro-  
 nes Sacræ, vitamqve verè san-  
 toribus Gallorum, quorundam  
 us oppositam, lege sis apud D.  
 um, Theodorum de Bry, & Jo-  
 sardum, conferqve pulcherri-  
 pi Melanchthonis Encomium,  
 huic Theologorum Principi  
 pa-